



Staats- und  
Universitätsbibliothek  
Bremen

# **Staats- und Universitätsbibliothek Bremen**

**Digitale Sammlungen**


## **Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...**

Fasc. 1

**Brauer, Hermann Brauer, Hermann**

**Bremen, 1722**

**urn:nbn:de:gbv:46:1-4170**





# BIBLIOTHECA

Historico - Philologico-

## THEOLOGICA.

Classis Sextae

FASCICULUS PRIMUS.



BREMÆ,

---

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII

---

Typis HERMANNI BRAUERI, M D CC XXII.

V I R O

*Excellentissimo, ac praecla-  
rissimo*

**D A V I D I  
W I L K I N S I O,**

S. Th. Doctori, & Cantua-  
riensi Canonico,

Reverendissimi in Christo Patris  
ac Domini,

**G U L I E L M I,**

Divina providentia Archiepiscopi  
Cantuariensis, & totius Angliae Prima-  
tis, a sacris domesticis & Bibliotheca, Legum  
Saxonicarum in alma Cantabrigiensi Acade-  
mia Professori, Societatis Anglicae, quae  
fidei propagationem sibi curae  
habet, Membro,

De re literaria, praecipue lingua Coptica  
meritissimo,

Borussiae in regina Insularum Britannia

Ornamento

*Trigesimum hunc primum*

# BIBLIOTHECAE

HUJUS

## FASCICVLVM,

Honoris, cultusque mei sym-  
bolum

DO, DICO, DEDICO,

Ejusque favorem & amicitiam, benevolam-  
que in hoc instituto urgendo promovendoque  
operam, ac studium

sollicite expeto

## EDITOR.

Elenchus eorum, quae in hoc  
fasciculo sunt :

- I. *Francisci BURMANNI* F. Isagoge in librum *Psalmoreum* p. 1.
- II. *G. OUTHOFII* ad locum Matth. I: 19. diff. in qua nonnulla de statuis *Rulandinis* & *Weichbildis* inserta sunt p. 23.
- III. *Jo. Georgii MICHAELIS* de *Abrahamo* & *ISAACO* a Graecis in Hyrieum & Orionem conversis Diss. pag. 51.
- IV. *Samuelis BATTIERII* Observationes sacrae ad loca quaedam N. T. p. 84.
- V. *Johannis à LASCO* ad *Alb. Hardenbergium* epistolarum ineditarum Sylloge cum annotationibus *Theodori HASAEI* p. 116.
- VI. *Theodori HASAEI* loci cujusdam *Suidae* & *Arriani* illustratio, atque emendatio p. 169.
- VII. Nova quaedam historico-Theologico-literaria p. 193.



Praefatio.

Christiano Lectori

S. P. D.

THEODORVS HASAEVS.

**S**edebat animo consilium, *sexum* hunc tomuni,  
Te non sigillatim compellato, sub auspiciis divi-  
nis exordiri. Nihil enim erat, quod magno-  
pere a me monendus esses. Quin gratulari mi-  
hi habeo, hos meos labores sacrarum praesertim litera-  
rum augmento impensos, eo a te studio, adhuc exce-  
ptos esse, quod ipsam spem meam longe superavit.  
Quod tamen nunc paucis te *velim*, duo faciunt famosi li-  
belli, qui *Hamburgo* transmissi, atque heri, moriente jam  
die, ad me allati fuerunt; in quibus & me & hanc  
Bibliothecam crudelem in modum lacerari, legi. Eos  
ut vidi, ut *subrisi*. Cognovi enim me non vanum  
fuisse vatem, dum ea, quae fore, & praesagierat ani-  
mus, & ego amicis praedixeram; facta esse accurate  
deprehendo. Videbam pariter me praeter meritum  
meum Principibus nunc permixtum esse Achivis, dum  
me haut aliter tractarunt, quam summos, utriusque  
Protestantium coetus, pietate, meritis, atque erudi-  
tione eminentissimos Viros tractare consueverunt.  
Parum autem abiit, quin splenem mihi commoveri  
sentirem, quando splendidam tantorum bella Domini  
gerentium Heroum bilem *incondito Afini rugitu*, qua-  
lem, quae illorum elegantia est, mihi tribuunt, ita

) (

cor-

concitata intumuisse, didici: At vero tenere me non potui, quin latera risu concuterem effusissimo, etsi haud temere ridere soleo, quando legebam, nunc tandem feliciter explicatum esse mysterium decantati illius monimenti sepulchralis, quod notam quandam characteristicam esse florentissimae Hamburgi itineraria perhibent; Me enim, ne nescias Lector, illa *Asini utricularem tibiam inflantis* effigie repraesentari scribunt, quam in templo Cathedrali inter suorum monimenta fulgentem conspiciunt. Meamne ergo, *Calviniani Doctoris*, quem qui dixerit omne flagitium, ut nuper scribunt, dixerit, ejusque *Bremensis*, effigiem ab *Hamburgensibus* tam honorifico in loco, in aede illorum praecipua, inter majorum suorum imagines collocatam esse? Ubi gentium ille Heraclitus est, qui talia fando

Temperet a risu? Sed errastis, boni Viri, vehementer. Neque enim aliud nunc respondeo, quam quod apud elegantissimum Phaedrum lupo respondebat agnus; **EQUIDEM NATUS NON ERAM**, quando illud monumentum incisum fuit lapidi. Ut autem pernoscatis, quem civium suorum illius epitaphii sculptor notaverit, vos **INILLVD**, date veniam Terentianae phrasi, **INSPICERE TAMQVAM IN SPECVLVM JVBEO**. Interea tantum abest, ut illorum me pudeat convitiorum, quae tam liberaliter in me effudistis, quando *rapidum canem, asinum, leporemque* ab omni humana ratione destitutum, *scurramque* appellatis, ut his potius titulis, quod a **VOBIS** profecti sunt, magnifice me efferam, eosque heic loci **PERPETVAE MEMORIAE** dicatos esse voluerim. Num autem illis dignus, tamque bardus, bleannus, stipesque ac caudex, atque ab omni literarum, Linguaeque Latinae consuetudine alienus sum, uti me esse dicitis, id aliorum committam arbitrio, qui ea spe mihi blandior, nunquam fore, ut a singulis Ministerii Hamburgensis membris, quorum non paucorum eruditionem, & me-

merita, ut par est, colo, tale testimonium impetrem. Non tamen par pari referam, neque convitiis & criminationibus vobiscum contendam. In hac re palmam vobis non dubiam faciam, sed relinquam lubens. Scio enim, si aliquod maledicentiae atque impudentiae praemium esset constitutum, id vos omnium suffragationibus illico ablaturos. Agite igitur, o Viri! & quo coepistis pede, pergite. Date tela, congerite convitia, disteria, scommata, *Non modio, neque trimodio, verum ipso horreo.* Lacerate, pungite, discindite, exossate, deglubite (quod comminamini) miserum hunc Leporem. Non efficietis, ut vel tantillum commovear. Nihil enim tam atrox, tamque asperum a vobis proficiscetur, quod non longe infra meam expectationem erit. Novi enim mores vestros. Jam curatum est, ut non parva exemplorum copia confestim *me* (a) *allegetur*, quorum unum, tanquam amplum spolium & tropaeum sollicitè inter *κεκτηνία* mea custodiam, ut olim posteri mei cognoscant, quo ego honore a vobis mactari dignus fui habitus. Reliqua distribuentur amicis. Caeterum, quidquid etiam feceritis, id quod semel omnino dictum est, non aliter *me*, quam precibus, & generoso vindicabo silentio. Quae scripsi superioris tomi p. 1077. & sequentibus, quibusque tantas iras vestras concitavi, scripsi conscientiae stimulis, gravissimisque causis adactus. Eas heic commemorare nihil adtinet. Non enim Apologiam seribo. At in posterum, paci multa daturus, haud facile vos saltim in hac Bibliotheca meminero. Quamquam nolim fidem meam interponere, non defuturos, ex iis, qui bonis literis heic loci student, qui, si me ecclesiasque nostras laceffere pergatis, fortia vobis opposituri

) ( 2

(a) Ita data opera scribo, quia sic scribitur Latinissime, aliter, ac censoribus meis visum fuit.

turi sint pectora, & causam veritatis, cum qua & meam conjunctam esse volo, strenue fortiterque acturi. Unum addo.

Imposterum in Catalogo Librorum ad Theologiam spectantium, illos etiam exhibiturus sum, qui a Theologis Evangelico-Lutheranis perscripti foras dantur, ubi illud vel ipsi desideraverint, vel prae aliis digni, quod saepissime sit, videantur ut eorum notitia ad exteros quoque perveniat. Vale, Lector benevole, & huic operi favere persevera & propediem meam de *Leviathane Jobaco* disquisitionem, quae sigillatim excuditur, exspecta. Si quid autem aliquid humani nos passos esse, ut homines sumus, observaveris, cogita nullum tam pulchrum, tamque venustum esse corpus, in quo non naevi aliquando appareant, quos prorsus effugere humanitatis leges non concedunt. Me quod adinet,

- - - non ego paucis

*Offendar maculis, quas aut incuria fudit,  
Aut humana parum cavit natura.*

Ὅσοι ἰὼ Κανονὶ σοιχῆσουσιν ἘΙΡΗΝΗ ἐπ' αὐτοὺς,  
καὶ ἐλεῶ, καὶ ἐπι τὸν Ἰσραὴλ τὰ Θεοῦ.  
Scripsi Phabirani, ad d. VII. Jun,  
a. clō 13 GCXXII.



עמי עשו

I.

*Francisci BURMANNI,*

Fr. F.

**Brevis omnium Psalmo-**  
rum, in quibus Messias nobis re-  
praesentatur, tabula (a) ex V. Psalmorum,  
uti Judæi illos dividunt, libris  
collecta.

Ex primo libro, qui incipit à Ps. I. & finitur  
Ps. XLII. hic adducuntur.

I.

**I**N Ps. III. occurrit universus ministeriū  
cursus.

2. IV. decertat cum domo Israël.

Cl. VI. Fasc. I.

A

30

(a) Lætus excipies hoc scriptum, quisquis sacrarum  
lite-

3. XIV. queritur de universali suorum temporum corruptione.
4. XVI. pręparat se ad mortem spe certa resurrectionis & glorię ap. Patrem.
5. XVIII. ę passionibus ereptus regni legatos quaquaversum dimittit.
6. XX. discipulorum ejus confessio de morte & instanti regno ejus.
7. XXII. Messię passionis in cruce & regnum iis fundatum.
8. XXXI. Messias exspirat, discipuli ejus, in morte ejus contristati se consolantur.
9. XXXV. Messię patientis tacitę ad Patrem preces ab initio vinculorum ad latam mortis sententiam.
10. XL. Messias ę morte resuscitatus partam justitiam annunciat.
11. XLI. dum Evangelium annunciat, omnium contemptui & insidiis exponitur.

12.

literarum cognitione accuratiori caperis. Quam breve illud est, tam multa & eximia continet, quę ingentem divinos hymnos interpretatur forenerari lucem, & uberem ulterius de tota re cogitandi prębere occasionem possunt. Discipulis suis illud *εὐαγγέλιον* loco, totum Psalmorum librum interpretaturus in calamum distaverat Theologus, ut paucis dicam omnia, *consummatissimus*. Quod ę elogium manu sua adscripsit, Johannes Morus, episcopus Eliensis in libro, quem Burmanno in Anglia versanti dono dederat, quique ex ejus librorum annotatione meę factus est potestatis. T. d. H.

Ex libro *secundo* incipiente à Ps. XLII. ad  
LXXII.

1. In Ps. XLIX. testatur de vero animorum lu-  
cro contra falsam Phariseorum & Saddu-  
cæorum doctrinam.
2. LXIX. morti vicinus sacerdotales preces  
pro se & suis contra hostes suos fundit.

Ex libro *tertio* a Ps. LXXIII. usque ad  
LXXXIX.

1. In Ps. LXXV. a suis pro rege agnitus testa-  
tur una cum spiritu suo de instanti syna-  
gogæ judicio.
2. LXXVIII. docet parabolas, discipulis ve-  
ro vias Dei antiquas enarrat.
3. LXXXI. inter suos manifestatus se verum  
Israëlis & Patrum olim liberatorem esse  
declarat & fœderis præsentis contemto-  
ribus exitium minatur.
4. LXXXII. cum Diis Israëlis nuncupativis  
disceptat & mortem ipsis prædicit.
5. LXXXVIII. ejulatus ejus omnium tristis-  
simus tum paulo ante vincula, tum in  
iis, tum paulo ante mortem

Ex libro *quarto* à Ps. XC. ad CVI.

1. In Ps. CI. Messias declarat, qua ratione suam  
domum sit administraturus.
2. CII. preces Messiae iram Dei sustinentis.

Ex libro *quinto* à Ps. CVII. ad fin.

1. In Pf. CVIII. Filius Davidis multo majori jure atque olim ejus pater (Pf. LX.) Israëlem & vicinas gentes sibi subjiciens.
2. CIX. Preces Messiaë, dum Judæorum tribunali sistitur & ad supplicium ducitur.
3. CXVIII. Messias è passionibus ereptus hanc liberationem inter discipulos prædicat, qui hoc Evangelio Israëlem ad fidem permovent.

In libro itaque primo occurrunt Pf. 11.

secundo	2.
tertio	5.
quarto	2.
quinto	3.

---

qui juncti efficiant 23.

- In illis autem Psalmis Messias repræsentatur.
- I. Ante mortem duplici temporis conditione
    - A. liber adhuc & docens. Pf. III. IV. XIV. XX. XLI. XLIX. LXXV. LXXVIII. LXXXI. LXXXII. CI. & CII.
    - B. patiens
      - ∞ pro tribunali Pf. XXXV. & CIX.
      - ∩ in supplicio Pf. XVI. XXII. XXXI. LXIX. LXXXVIII.
  - H. Post mortem Pf. XVIII. XX. XL. CVIII. CXVIII.

*Altera Psalmorum,  
in quibus regnum Messiaë ejusque vicissitudines depinguntur, Tabula.*

1. In Ps. II. occurrit disceptatio de Messia titulo & jure ad regnum capeffendum.
2. VIII. exaltato rege regnum ipsius per totum terrarum orbem proclamatur.
3. XXI. oratio & acclamatio qua Messia ex Martyriis resurgenti felicia mox capeffendi regni auspicia voventur.
4. XXIII. gratiosa & spiritualis regni administratio.
5. XXIV. propagatio regni primo inter paucos corde in Israele, tum & ad potentes in gentibus.
6. XXV. angustia qua utramque hanc propagationem comitarentur.
7. XXVIII. regni administri & praecones ab opprimente synagoga post ejus excidium crepti ad gentes se convertunt.
8. XXIX. invicta potentia qua regnum hoc suis initiis se exseret.
9. XXXIII. Jubilus ob vindictam potenti manu a gentibus dissipatis eorum conatibus & consiliis sumtam.
10. XXXVI. judicium obdurationis in Judaeos non obstante dispensatione gratiae desinens in eorum exterminio.
11. XXXVII. conflictatio fidelium regni subditorum cum obdurata illa & potenti synagoga.

Ex libro secundo,

1. in Ps. XLV. Epithalamium in Regem a

Patre unctum fata futuri regni omnia enarrat.

2. XLVI. regni istius propugnatio contra hostes omni isto tempore.
3. XLVII. triumphalis regni istius propugnatio usque ad Regum ipsorum subjectionem primam.
4. XLVIII. Regiæ urbis gloria eodem isto temporis decursu.
5. L. Regis ira adversus Judæos carnales & sacrificiorum abolitio.
6. LXI. Regis administri primitias gentium sibi subjiciunt.
7. LXV. Regni istius ubertas in primis suis initiis.
8. LXVI. angustiaë auspiciatissimis istis initiis junctæ cum lætissimo exitu.
9. LXVII. vota pro auspiciis hujus regni cum jubilo suscepta.
10. LXVIII. propagatio hujus regni à primo initio ad ultimam gloriam intermixtis maximis judiciis
11. LXXII. successus prosperi hujus regni toto seculorum decursu.

Ex libro tertio.

1. In Ps. LXXVI. Rex severissima judicia exercet inter Judæos primum, tum & inter gentes.
2. LXXXV. Judæi ex severissimo obdurationis judicio restituuntur.
3. LXXXVII. Urbis regiæ gloria adductione

ne multarum gentium & numerosa prole  
nobilitatae.

Ex libro quarto.

1. In Ps. XCIII. cursus regni brevi compendio  
propositus.
2. XCV. discipuli exaltatum Regem domui  
Israelis annunciant attestante Spiritu S.
3. XCVI. excitantur tam Judæi quam gentes  
ut Regi novum canticum occinant.
4. XCVII. Messias tremendis judiciis regnum  
inter gentes capeffit.
5. XCVIII. ut Ps. XCVI.
6. XCIX. Regis solio insidentis sanctitas in-  
ter Israëlitas celebratur.
7. C. invitatur universus orbis ut Regi suo  
debitum cultum præstent.
8. CIII. omnia regni Messia bona & privile-  
gia coram Rege solio insidente celebran-  
tur.
9. CVI. Judæi ex longo rejectionis & obdu-  
rationis judicio tremebundi ad Regem  
suum convertuntur.

Ex libro quinto.

1. In Ps. CX. Messias ut Rex & sacerdos solio  
suo insidens duplicem hanc potestatem  
adversus quoscunque obtrectatores ad fi-  
nem regni tuetur.
2. CXIII. Auspicatissima regni Messia initia  
& humilium multorum evectio.
3. CXIV. comparatio inter administratio-  
nem hæreditatis sub V. & N. T.

4. CXIX. Verbi Messiae ut sceptri potentissimi per omnia secula celebrati in sustentandis fidelibus adversus quoscunque hostium insultus potentia.

5-19. CXX-CXXXIV. regni fata & promotio variis gradibus exhibetur.

20. CXXXV. Israel in fine dierum ad conversionem invitatur.

21. CXXXVIII. regni Messiae in Israele primitiae, uti praeparatio quaedam ad gentium vocationem.

22. CXLV. regni Messiae insignia decora extolluntur.

23. CXLVI. Israel a principibus suis brevi moritarius ad veri Regis ejusque operum agnitionem evocatur.

24. CXLVIII. omnia, quae in caelis & in terra sunt, excitantur ad manifestati Regis agnoscendam gloriam.

Habemus igitur ex libro primo Ps. 11.

secundo Ps. 11.

tertio 3.

quarto 9.

quinto 24.

---

quae efficiunt Ps. 58.

In hac autem summa quidem omitti sunt, qui tantum de particularibus fati regni Messiae agunt.

1. Qui autem ideam generalem regni Messiae exhibent.

2. Si.

2. sive naturam ejus & regimen in genere depingunt.

3. sive mysticum sensum réferunt.

Ad primam classem referuntur Ps. XXIII. XLV. XLVI. LXVIII. LXXII. XCII. CIII. CX. CXIX. CXX. CXXXIV. & CXLV. in univcrsum 25.

Ad secundam pertinent

a. qui felicia regni auspicia tam inter Judæos, quam gentes repræsentant, ut Ps. II. VIII. XXI. XXIV. XXIX. XXXIII. XXXVI. XLVII. XLVIII. L. LXI. LXV. LXVII. LXXXVII. XCV. C. CXIII. CXIV. CXXXVIII. CXLVI. CXLVIII. in univcrsum 25.

b. In altera schesi repræsentantur adjunctæ auspiciis istis calamitates ut Ps. 25. 28. 36. 38. 66. 76. tantum 6. numero.

Ad tertiam classem reducuntur illi in quibus exhibetur ultima Judæorum ad Regem suum adductio qui sunt Ps. 85. 106. 135. ideoque tantum 3.

Observationes quædam in Psalmes propheticos de Messia, ejusque regno.

Observ. I. Uritur Spiritus S. hac methodo in Psalmis Messiam repræsentantibus sc. non loquitur ut de rebus futuris sed casus nobilissimos regni Messia in præsentia quasi jam exstarent, repræsentat. Facit hoc introducendo subjectos & cives istius regni de prosperis aut adversis regni hujus differentes. Illi fideles

les sunt non tamen omnes fideles eodem tempore, viventes nec etiam fideles omnium temporum seu intermedio quodam modo definiti & certi cujusdam temporis fideles introducuntur qui singuli fata suorum temporum quasi jam presentia enarrant nec annorum tantum quorundam sed aliquando plurimorum seculorum fata. Hi ipsi cives sermonem varie digerunt aut ad Deum ipsum ut Regem suum, aut ad se mutuo, aut ad hostes, aut ad eos ex inimicis suis, quos suavissima compellatione ad regni hujus communionem allicere conantur: quandoque etiam dialogus quasi instituitur inter diversorum & plurimorum seculorum fideles ita ut priorum aliquot seculorum fideles habeant sibi quasi succinentes & respondentes posteriorum seculorum fata enumerantes. His omnibus fidelium sermonibus sæpissime responsum aliquod divinum imprimis Regis Messiaë immiscetur.

Hoc vero quum in plerisque Psalmis prophetis de Messiaë regno agentibus fiat, facile quivis providebit ad Psalm. istorum intelligentiam apprime necessarium esse ut ad personas loquentes earumque vicissitudines & apostrophas attendamus. Ex personarum enim distinctione res gravissimæ dependent. i. accurata rerum & temporum determinatio: diversæ enim personæ loquentes diversa ecclesie fata ac tempora exprimunt, dum unaquæque persona tamdiu fere loquens introducitur,

tur, quamdiu fata suorum temporum durant.  
 2. eadem illa personarum & rerum diversitas maxime ad analysin eruendam conducit. Singula enim diversarum rerum representamina totidem diversas analyseos partes constituent adeoque hac methodo semper cujusque Psalmi analysin instituenda, quæ ex rebus ipsis enascitur, quæque naturalis non coacta aut prohibitu formata dici potest.

Observ. II. Observare debemus primum & ultimum terminum omnium fatorum, quæ in Psalmo aliquo continentur. Hoc cum observandum sit in omnibus Psalmis, qui agunt de Messia, id hoc loco magis erit necessarium, nam in illis Psalmis tot simul tempora non observantur in his vel plura secula vel etiam omnia in uno Psalmo comprehenduntur. Ex hac autem observatione duplex ad nos redundabit utilitas 1.) ne fata rerû extra hos terminos posita in harmonia implementi adducamus, etiamsi similia plerumque videantur, 2.) ut eo melius digeramus illa rerum fata, quæ inter primum & ultimum terminum interjacent, sic enim cursum universum regni Messia h. e. varias rerum sibi mutuo succedentium vices multo accuratius distinguemus. Hoc autem ut feliciter præstemus primo catalogum quendam dabimus illorum Psalmorum, quos ut totidem vaticinia de regno Messia considerandos putamus, & quidem eum in finem ut eo feliciter selectum qui possit instituire eorum quos explicandos sibi suscipiet.

Tabula Psalm. Propheti-  
corum.

Ex libro primo.

1. Ps. I. disceptatio de jure quod Messiae competit ad regnum suum tam in Israële, quam inter principes & reges gentium.
2. IV. Occurrunt Messias ejusque discipuli domum Israelis ad agnoscendum Regem suum adhortantes.
3. V. ecclesia incipit emergere ex lucta cum Anti-Christo.
4. VIII. Exaltato Rege regnum ipsius per totum terrarum orbem promulgatur.
- 5-9. IX-XIII. egregia occurrit descriptio totius regni Anti-Christiani.  
Ps. IX totus processus luctæ fidelium cum Anti-Christi regno ab initio ad finem.
- x. Omnia regni istius scelera & immanissima tyrannis ut & liberatio.
- XI. ejectio fidelium ex illo regno cum instanti in illud judicio.
- XII. describitur tyrannis in doctrina.
- XIII. occurrit querela de oppressione.
10. xv. Characteres civis regni Messiae.
11. xviii. Messias ex omnibus angustiis liberatus Heroas suos præparat ad magnum certamen & regni sui propagationem, postquam jam aliquot virtutis suæ specimina dedissent.
12. xxi. Oratio & acclamatio qua Messiae è mortuis resurgenti felicia capeſſendi mox regni

regni auspicia maxime in Judæorum contumacium iudicio voventur.

13. XXIII. Occurrit gratiosa & spiritualis regni istius administratio.
14. XXIV. Propagatio regni primo inter puros corde tum inter potentes è gentibus.
15. XXV. angustia quæ utramque hanc propagationem comitarentur.
16. XXVI. illic fideles ex communione Anti-Christi exire optant.
17. XXVII. varii conatus ad egressum illum ex Anti-Christi regno ut Deum suum libere colant.
- 18-19. XXVIII, XXIX. V. sup. tab. II.
20. XXX. liberatio fidelium ex ipsa morte per Messiam & ex primis gentilium persecutionibus.
- 21-23. XXXIII, XXXVI, XXXVII. vid. sup. l. c.
24. XXXIX. fidelium humiliatio ob persecutiones sibi ob longum aliquod & meticulosum silentium sub regno Anti-Christi immixtas.

Ex libro secundo.

1. Pl. XLIV. Gravissimæ persecutiones primorum Christianorum bona conscientia susceptæ.
- 2-6 XLV-L. Vid. tab. secund. super.
7. LV. Anti-Christi ortus & incrementa ad summam usque perfidiam quæ poenam ejus acceleraret.

8. LVIII. Anti-Christi consilia maturescunt ad poenam in gaudium Christianorum.
9. LXI. V. supra.
10. LXII. persecutiones Christian. sub Judæis & gentibus ad primam usque pacem & rerum omnium abundantiam.
11. LXIV. Occurrunt Anti-Christi insidiæ cum consequenti poena.
- 12-16. LXV-LXVIII. & LXII. V. supra.

Ex libro *Tertio*.

1. Ps. LXXIII. fidelium tentatio per Anti-Christi prosperitatem subitanæo casu Anti-Christi finitur.
2. LXXIV. diuturnæ desolationes ab Anti-Christo ubivis in Dei sanctuario patratae absque ulla adhuc spe liberationis.
3. LXXV. Messiaë judicia in synagogam.
4. LXXVI. V. tab. secunda.
5. LXXXI. Messias Israëlem ad se ut ad Deum istius gentis invitat.
6. LXXXII. Messias nominatis Israelitarum Diis instantem abolitionem prædicit.
7. 8. Ps. LXXXV. LXXXVII. V. tab. secunda.

Ex libro *quarto*.

1. Ps. XCI. Messias non tantum sub V. T. sed vel maxime sub N. T. perfugium & protectio suorum.
2. XCII. Messias suis virtutibus innotescit, brutescentem populum extirpat, novum sibi

sibi creat, quem ad senectutem usque est  
tuiturus.

3. XCIII. V. supra.
4. XCIV. extrema persecutionum Christi  
ad vindictam maturescentia.
- 5-12. XCV-C. CIII. CVI. coincidunt cum  
tab. secunda.

Ex libro quinto.

- I. Pf. CVII. calamitates & liberationes eccle-  
siæ sub V. & N. T.
2. CVIII. Filius Davidis non minus ac ipse  
David Israelis & vicinarum genti-  
um rex à Deo declaratur, ministros suos  
ad gentes ablegat.
3. CX. ut supra.
4. CXI. Majestas regni Messiae & robur o-  
nium ejus operum inter Judæos & gen-  
tes patefiunt.
5. CXII. characteres eorum, qui tantorum  
beneficiorum sunt participes, cum exclu-  
sione improborum.
- 6-7. CXIII-CXIV. V. supra.
8. CXV. Conflictatio fidelium cum perse-  
cutoribus idololatricis & eorundem ex-  
citatio ad constantiam.
9. CXVI. gratiarum actiones pro conser-  
vatione in mediis illis persecutionibus &  
Martyriis.
10. CXVII. excitatio omnium gentium ad  
celebrandam Dei benignitatem & veri-  
tatem.

11. CXVIII. Messias è passionibus ereptus discipulos de sua liberatione edocet. Hi vero Israelem tam læto nuncio ad justitiam Messiaë cum sperato effectu invitant.
- 12-29. CXIX - CXXXVIII. inclus. vid. supra.
30. CXXXIX. exploratio & accuratissima conservatio fidelium in persecutione sub Anti-Christo ubi homines sanguinarii & in Deum rebelles dominantur.
31. CXL. persecutiones sub Anti-Christo ad ultimum ipsius interitum.
32. CXLI. fideles ex Anti-Christi regno egressi novis calamitatibus involvuntur à fidei constantia adversariorum casum expectant.
33. CXLIII. fideles longa Anti-Christi oppressione fatiscetes liberationem suam anhelant.
34. CXLIV. Messias ex omnibus angustiis liberatus rogatur à suis fidelibus ut regnum suum cum demonstratione divinæ Majestatis gloriosissime erigat.
- 35-37. CXLV-CXLVIII. V. supra.
38. CXLIX. Ultima ecclesiæ gloria quæ heroes suos ad ultimam victoriam producere jubetur.
39. CL. omnimoda gloria quæ Deo liberatori ab omnibus aliquando hominibus tribuenda.

Ex libro primo habemus Ps.	24.
secundo	12.
tertio	8.
quarto	12.
quinto	39.

Qui simul efficiunt in universum Ps. 99.

Proximum jam est ut omnes hos Psalmos propheticos in certas classes digeramus, ut uno veluti ictu oculi perspicere possimus quid sibi præcipue Sp. S. de Messiaë regno in his Psalmis describendum proposuerit. Classes itaque facimus sequentes.

I. *Prima* est eorum Psalmorum, qui in genere naturam istius regni describunt non observando præcise temporum & factorum seriem. In illis enim describuntur aut bona & privilegia, aut administratio & natura istius regni aut etiam cives & subditi ejus. Huc pertinent Ps. 15. 23. 103. 112. 117. 145.

II. *Secunda* classis est eorum qui totum ipsius ambitum observata factorum serie & discrimine distinguunt. Hi sunt sequentes. 45. 46. 68. 72. 91. part. ult. 93. 107. part. ult. 110. 119. & hymni Hamaaloth. 120-134.

III. *Tertia* classis est eorum qui certas & speciales quasdam periodos repræsentant. Hi rursus triplicis sunt generis. Aut enim pertinent ad initia hujus regni prout illud aut in Israele aut inter gentes erigi deberet, aut ad tempora intermedia plerumque calamitosissima aut ad finem & catastrophem lætissimam.

a. Ad initia ejus in Israele & gentibus quarum initium aliquando describitur.

α. Prosperum & lætum Ps. 2. 4. 8. 18. 21. 24. 28. 29. 30. 33. 36. 47. 48. 50. 61. 65. 67. 75. 76. 81. 82. 87. 92. 95-100. incl. 108. III. 113. 114. 118. 138. 144. 146. 148.

β. Aliquando describuntur adjunctæ calamitates ut Ps. 25. 37. 44. 62. 66. 115. 116.

b. Ad tempora intermedia plerumque calamitosissima pertinent imprimis descriptio regni cujusdam adversarii, à quo subjecti Messiae magnis calamitatibus afficerentur. Hoc rursus fit dupliciter.

α. Aut enim in genere totus processus regni istius adversarii ab initio ad finem ejusdem describitur ut, Ps. 40. 55. 140.

β. Aut in specie peculiare tantum periodi vel casus istius regni adversarii describuntur, quo pertinent Ps. 5. 10-13. incl. 26. 27. 39. 58. 64. 73. 74. 94. 139. 141. 143.

c. Ad finem & lætarum rerum catastrophen pertinent reliqui, ubi

α. aut in genere fidelium exitus gloriosissimus & læta tempora describuntur ut Ps. 149. 150.

β. aut in specie ultima Judæorum conversio notatur ut Ps. 85. 106. 135.

Ex hac Psalmorum in certas classes distributione methodus aliqua formari potest, quæ certo & demonstrative quodammodo determinat.

minari possit, quinam Psalmi sint propheticum, aut non sint, quique agant de regno Messiae sub N. aut V. T. & qua praecipue ratione fata istius regni & rerum sibi mutuo subsequendum ordo possit erui.

1. Sex illi Psalmi primae classis eo pertinent, ut primo in genere naturam regni Messiae, & quidem sub N. T. rite cognoscamus, adeoque distinguamus ab ejusdem regno, quod obtinuit sub N. T. aut etiam a regno adversario temporibus N. T. Vidimus describi civem istius regni Ps. 15. & 112. in eo autem nihil requiri eorum, quae ad tabernaculi cultum faciant. Rursus in descriptione naturae istius regni occurrunt bona gratiae longe uberiora & praestantiora quam sub V. T. unquam obtinuerunt Ps. 23. & 103. aut tanta ejusdem regni dilatatio & quaedam quasi universalitas ipsi tribuitur, ut omnes omnino orbis terrarum gentes non unicum aliquem populum ut olim Israelem ambitu suo complectatur Ps. 7. & 1145. Quo ipso facile satisfieri potest eorum scrupulis qui propheticum Sp. in Psalmis Davidicis non facile admittunt eosque aut de providentia Dei in genere, aut si vel propheticum quid agnoscant tantum de veteri Israele interpretari solent.

2. Ut vero indagemus ipsa etiam regni Messiae fata & ordinem rerum, quae sibi mutuo succedunt, adhibenda erit elegantissima illa distributio in certas quasdam classes.

E. gr. ex classe secunda illos ubi integer cursus regni Messiae describitur inter se & similes casus cum similibus comparatus, quomodo facile rerum ordo & successio dignosci possit.

3. Tum verò ex tertia classe, ubi speciales quidam casus describuntur, instituta comparatione cum secunda classe videbis ad casus illi speciales ad initia regni Messiae an verò ad tempora intermedia aut ad finem pertineant, ut certe Sp. S. ea utitur methodo qua & Dominus noster usus est Matt. 13. in regni sui fati per parabolas describendis. In parabola enim de Zizaniis 1) universum regni sui cursum omniaq; ejus fata ab initio ad finem repraesentat 2) in reliquis vero parabolis ut de grano synapios, de fermento farinae clanculum indito, de thesauro in agro effosso, de margarita inæstimabili & de reti in aquam projecto casus speciales describit, qui cum priori parabola generaliori comparati facile ad sua tempora referri possunt.

III. Regula. Id etiam observandum est, quod illi ipsi Psalmi, qui tantum casus quosdam peculiariter istius regni describunt, adjunctos habeant quosdam characteres, ex quibus dignosci potest ad quænam tempora regni Messiae hi ipsi Psalmi referendi sint. e. gr.

a. Plerique illi Psalmi in quibus agitur de initiis regni Messiae plerumque connectuntur cum ipsa Messiae manifestatione, aut  
cum

cum prima gentium vocatione aut iudicio in Judæos, quod signum est indubitatum, res illas quæ, postea sequuntur, ad prima regni Messiaë secula pertinere.

β. Illi Psalmi qui de temporibus intermediis agunt seu de regno adversario Messiaë, illi plerumque tacent aut de manifestatione Messiaë, aut de prima gentium vocatione, eaque ut jam facta præsupponunt, adeoque indicium præbent, hæc ad seriora tempora pertinere. Rursus si occurrat lætus aliquis rerum exitus aut insignis afflictorum liberatio aut victoria, ex ipsa rerum serie aut multitudine aut paucitate facile distinguere potest an pertineat ad primam gentium vocationem aut finem primarum persecutionum an vero finis omnium ultimus & liberatio universalis ecclesie per gentium & Judæorum conversionem ultimam denominetur.

IV. Regula. Id etiam observatione dignissimum puto, quod in descriptione regni adversarii seu Anti-Christiani, eadem Methodo, qua etiam in ipso Messiaë regno utitur, versetur. Hic enim itidem in quibusdam regnum illud adversarium ab initio ad ultimam ejusdem ruinam & iudicium quo rex Messias illud pessumdaret, describitur, quod maxime fit Ps. 9. 55. 140. in aliis vero peculiare quidam casus describuntur, puta aut initia tyrannidis ejus & oppressionis aut progressus

& diuturnitas aut fidelium exitus & liberatio ex hac tyrannide aut subsecutæ novæ insidiæ hostiumque in sua malitia obstinatio & perfidia. Hæ peculiæres descriptiones, si cum generalioribus comparentur, facile itidem ad sua tempora, hoc est, vel ad initium vel medium vel finem istius regni tyrannici referri possunt.

V. Regula. Hic observandum quod difficultas omnium maxima occurrat in illis Psalmis, ubi tantummodo describuntur calamitates fidelium & oppressiones. Cum enim omnibus fere temporibus tam sub V. quam sub N. T. omnium fidelium fors fuerit maximas subire calamitates, hinc maxima cautione opus est ut determinetur an illæ pertineant ad calamitates ad V. an vero ad N. T. & si ad novum T. an pertineat ad persecutiones primas sub Judæis, an sub gentibus an vero ad posteriores sub Anti-Christo an ad omnium ultimas, quæ post delectum Anti-Christum ab aliis adhuc gentibus ingruere possent. Hoc autem in casu hæc duo facienda videntur.

✕ Ut characteres específicos istarum oppressionum diligenter notemus & cum aliis characteribus temporum quos jam attulimus, comparemus.

☞ Ut casus hos speciales, qui in talibus Ps. occurrunt comparemus aut cum integro cursu regni Messiaë, aut cum ultimo cursu regni Anti-Christiani.

Hæc aut similia, si observentur, aut pro  
re

re nata applicentur, non facile nobis objici posse puto, interpretationem prophetiarum infirmo nititalo, cum è contrario certis interpretandi legibus nos adstringamus, nihilque ex ullo Psalmo erutum velimus, quod non ex prædicatis ejus evidentissime concludi potest, aut ipsorum Psalmorum inter se comparatio à nobis non extorqueat. Quæ omnia adhuc majorem habent vim, si hanc ipsam comparationem ulterius extenderimus conferendo hos Psalmos cum aliorum Prophetarum vaticiniis. &c.



II.

G. OUTHOVII

Dissertatio

in *Matth. I: 19.*  
ubi nonnulla

de statutis *Rulandicis* ac *Weichbildis*  
Saxonicis insperguntur.

ARGUMENTUM.

- §. 1. Male quidam N. T. scaturere hebraismis asserunt.  
§. 2. Binōs tales latere in hoc loco dixere quidam. Primum in voce *δixαι*. §. 3. Quam perperam hoc fit, ex generali notione vocum

*δικαιῶ* & *δικαιοσύνη* ostenditur. §. 4. Allegantur Lutheri versiones & glossæ. §. 5. Digressio fit de verbo *iügen*, quo Lutherus usus est. Unde §. 6. quidam deduxerunt significationem statuarum *Rulandicarum*. §. 7. De variis signis erectis in signum iudicii ac jurisdictionis, ut *crux*, *arbor*, *manus*, *chirotheca* &c. & quid sit *Weichbildrecht*. *Mannus* olim signum victoriae, ac monumentum alicujus rei. §. 8. A tali signo *Mahl* dicto, descendunt *Mallus*, *mahlstat*. *Mahlen* pro dicere, unde *Mallum*, *mahlzeit*, *maaltydt*. *Malli* publici statuae *Weichbildice* Saxonice, unde secundum quosdam. §. 9. Eggelingii derivatio ac iudicium de *Wichiletho*, seu *Wiks-belettungsregk*. §. 10. Alia derivatio vocis *Wichelethe*, ex *vvic*, *vvyk* & *bilethe*, *facies*, *forma*: unde *Weichbild*, i. e. regimen, *directio*. §. 11. Statuae *Rulandine* non a *rugen*, *accusare*; sed a *ruhen*, *rouven*, i. e. *quiescere*, unde *Ruuard*, *custos quietis*, & *Rulandsbild* signum publicum erectum, *bannus imperatoris*, ad pacem servandam, loci patrocinium. &c. §. 12. post hanc digressionem defenditur usus vocis *δικαιῶ*, pro viro bono, probo, ac honesto ex Sophocle, ac Philemone. §. 13. Hinc explicatur, quo sensu Josephus dicitur *ἀνὴρ δικαιοῦς*. Distinctio *לשון* & *לשון* aut *לשון*. duplex libellus repudii. §. 14. propria significatio verbi *παρὰδειγματιζειν*; error Suiceri. §. 15. unde derivatur hoc verbum, quomodo etiam usurpatur; Notatur Salmasius. §. 16. *παρὰδειγματιζειν* non semper includit poenam. §. 17. Sed distinguitur a *κολάζειν*. §. 18. explicatur quoque per *θριαμβεύειν*, proprie *triumphare*, sed etiam *Ludibrio exponere*. §. 18. Concluditur hic nullum esse hebraismum. §. 19. *Ἀπολύσαι*, *ἀφιέναι*, *ἐκβάλλειν*, *ἀποπέμπειν*, Latinis, *dimittere*, *repudiare*, *exigere*, de viris dicuntur;

tur, at ἀπλείπειν, *discedere*, & ἀπόλειψις, *de uxoribus*, & quare: unde *divortium*, *repudium*, ac *diffarreatio* dicuntur.

§. I.

**I**N originali N. T. textu dari Hebraismos, seu tales loquendi formas, quæ ad genium linguæ Hebrææ sunt effictæ, non omnino negare volo. Nego tamen audacter, tot occurrere Hebraizantes loquendi modos, quot Beza, Gatakerus, Vorstius, Leusdenius aliique viri docti annotarunt. Accensuere enim illi multas phraseologias, in Novo Test. occurrentes, suis hebraismorum classibus, quæ pure græcæ sunt, & quarum vera vis non nisi ex ipsis græcis sit petenda fontibus, & quorum hebraismorum spurcis sordibus limpiditatem cœlestis venæ nimis oblimarunt. Quo animo hoc fecere, ipsis respondendum relinquo. Sed sunt hodie multi græcarum literarum parum studiosi, qui non legunt ipsos auctores Græcos, multo minus Atticæ linguæ perreptant angulos, sed semper sua tantum consulunt Lexica, & si loquendi aliquas formas in Novo Test. occurrentes in iis non inveniunt, statim eas aut Hebraismos, aut solœcismos aut barbarismos appellitant. Sed illi minus ferendi sunt, cum tam facile textum sacrum cavillentur, oraculis summi Numinis injuriam faciant, imo ipsum Spiritum Sanctum, cujus instinctu in-

fallibili Viri Θεοπνευστοί illa mirabilia dicta scripsere, accusant, quasi verba ipsius barbariem olerent aut solœcismis squallerent, aperientes sic vel callenter vel aperte viam ad Atheismum. At vero qui in studio linguæ græcæ bonas horas consumpsere, ac Musarum græcarum abdita penitus scrutati sunt, optimos Græcos auctores perlegere, & textum sacrum Nov. Test. ejusque loquendi modos cum verbis Græcorum scriptorum contulere, genuinumque verborum ac phrasiologiarum sensum rectoribus animis investigavere, semper aliter judicarunt, ac Attici sermonis gravitate sacra Novi Test. scripta optime splendescere dixerunt, ac demonstrarunt. Laudandi ergo sunt omnes, qui id egerunt, ut abstergerentur hæ maculæ æ fœdæ sordes, quibus male docta ingenia vesana audacia sacerrimas paginas turparunt, sed de hac re alia occasione Deo volente plura dicam. Labet impræsentiæ verba proponere, quæ legimus *Matth. 1:19.* ubi dicitur, Ἰωσήφ δὲ ἀνὴρ αὐτῆς, δίκαιος ὢν, καὶ μὴ θέλων αὐτὴν παρεδειγματίσαι, ἐβουλήθη λάθρα ἀπολῦσαι αὐτήν.

*Joseph autem vir ejus, quum esset pius, & nolens eam publice diffamare, clam eam volebat dimittere.*

§. 2. In his verbis binos latere Hebraismos, dixere quidam, ut dudum notavit laudatissimus puritatis linguæ græcæ novi Test.

Test. defensor Pfochenius in *diatr. de purit. ling. gr. N. T.* §. 106. Primus Hebraismus lateret in voce  $\delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\mu\circ\varsigma$ , ut Vorstius in *Philolog. Sacr.* p. 55. ubi prolixus est in  $\delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\mu\circ\varsigma$ , notat, cum ait, vulgo  $\delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\mu\circ\varsigma$  significat justum. In *N. Test.* autem vir quoque pius, bonus, honestus eodem vocabulo appellatur. Et ut hebraismum ostendat, addit deinde, usurpatum est vocabulum græcum exemplo vocis hebrææ  $\text{דִּיקָאִים}$ , cum qua  $\delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\mu\circ\varsigma$  alias congruit. Primo hæc hebræa vox justam significat; deinde  $\delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\mu\circ\varsigma$  talis, quem Latini virum bonum vocant, eo vocabulo appellatur. Hunc sequitur Leusdenius in *philolog. græc.* pag. 99. ubi ait,  $\delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\mu\circ\varsigma$ , justus, in *N. Test.* etiam est pius, bonus, honestus, ut *Act.* 10: 22. Cornelius vocatur  $\alpha\iota\upsilon\eta\gamma\ \delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\mu\circ\varsigma$ , vir bonus, honestus: nam  $\text{דִּיקָאִים}$  idem hebraice denotat. Succenset quoque Gatakerus *dissert. cap. 39.* Pfochenio, qui tamen loc. alleg. satis demonstravit,  $\delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\mu\circ\varsigma$  apud Græcos quoque indicare virum bonum, virtute præditum,

§. 3. Et quare in  $\delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\mu\circ\varsigma$ , pro viro bono, ac honesto hebraismus lateret? cum notum sit, quod aliquis apud Græcos  $\delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\mu\circ\varsigma$  dicatur, non semper ob unam illam virtutem, quæ est constans & perpetua voluntas, qua unicuique suum tribuimus, id est,  $\delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\mu\circ\varsigma$ ; sed etiam ob absolutam omnibus numeris probitatem: unde Aristoteles *Ethicor. lib. 5. cap. 1.* ait,  $\epsilon\nu\ \delta\epsilon\ \delta\iota\kappa\alpha\iota\sigma\mu\circ\varsigma\ \sigma\upsilon\lambda\lambda\epsilon\gamma\epsilon\tau\alpha\iota\ \pi\acute{\alpha}\sigma\epsilon\varsigma\ \alpha\iota\upsilon\eta\tau\eta\ \epsilon\sigma\tau\iota$ , *Justitia in se virtutes complectitur omnes, ad-*  
dens

dens, καὶ τελεία μάλιστα ἀρετὴ, ὅτι τῆς τελείας ἀρετῆς χρῆσις ἐστὶ τελεία δ' ἐστίν, ὅτι ὁ ἔχων αὐτήν, καὶ πρὸς ἕτερον δύναται τῇ ἀρετῇ χρῆσθαι, ἀλλ' οὐ μόνον κατ' ἑαυτόν, id est, ac perfecta maxime est virtus, quia perfecta virtutis est usus: perfecta autem est, quia qui eam habet, etiam erga aliorum virtute uti potest, ac non erga se solum. Quare Paraphrastes Ethicor. lib. 5. cap. 1. §. 5. ita enūciat, τὸ χρῆσθαι πᾶσις ἀρεταῖς πρὸς τὸ συμφέρον τῶν πέλας, τοῦτό ἐστιν ἡ δικαιοσύνη, id est, quod quis omnes virtutes ad proximi commodum refert, hoc est, quod justitia appellatur. Hinc δικαιοσύνη quoque est probitas, & δίκαιος probus, sincerus, honestus, bonus, æque ac strictus justus.

§. 4. Et sic Lutherus hoc loco, meo iudicio non male dicit, Joseph averst ere Man, was fram, unde molde se nicht beruchtigen. Et in glossis addit, he wolde se nicht tho schanden maken, vor den Lüden, alse he wol macht hadde, na den gesette. Unde also rhömet S. Matthæus Josephs framicheit, dat he ock syn recht, om der leve willen nagelaten heeft. Ita lego in Bibliis Lutheri typ. Magdeb. 1578. At in alia versione legitur, und wolte sie nicht rügen.

§. 5. Hoc ultimum autem verbum rügen significat in lingua Germanica denunciare, accusare, ad illum finem, ut Magistratus, denunciatione audita, inquirat, judicialiter agere, vide Schottelium in libro von der Teutschen Haubtsprache lib. 2. cap. 12. p. m. 497. § 499. Sic Mel.

Melchior Goldastus in tract. de immunit. privileg. Reip. Magdeb. allegato a Winkelmanno in notit. hist. polit. Vet. Saxo-Westphal. lib. 4. cap. 3. pag. m. 544. quoque dicebat, *rügen* veteri idiomate Germanico est agere, accusare, damnare, uno verbo judicare. Unde Rugavius, quasi Rugegravius, ein Gerichtsgrave.

§. 6. Et inde deducunt Goldastus, Schottelius, Winkelmannus & alii significationem statuarum illarum Rulandicarum, quas fabularum futilium compilatores perhibent a Carolo M. in honorem Rulandi, ex Sorore Bertha nepotis, tanquam libertatis & privilegiorum indices quibusdam Saxoniae urbibus esse datas. Ita dixerunt illi nugarum architecti, seducti fabulosa narratione Johannis Turpini, tradentes hunc Rulandum, Blavii comitem, periisse in bello circa Pyreneum, ac sepultum cum gladio ad caput, &c. Sed quis credat, Carolum M. veteribus statuis destructis novas substituisse? Judicant igitur viri dicti *Ruland* esse nomen appellativum, quasi dicas *Rugeland*, compositum ex *rugen*, und *Land*, ut ita statua Rulandina significet signum, per quod notatur, ibi esse forum publicum causarum, jurisdictionem, Locum justitiæ, districtum, territorium, seu ut suo idiomate Germanico vocarunt, *Mallum publicum*, eine *Mahlstat*. *daman frey Kaiserliches Gericht hält*. Vide Gryphiandrum de *Weichbildis Saxonis* cap. 71. Et cujusmodi Rulandinae  
sta.

statuæ in multis civitatibus repertæ sunt, ut Magdeburgi, Brandenburgi, Zerveſti, Northuſii, Halberſtadii, Hallæ, Hallenſlebi, Quedlinburgi, Statbergæ, Hamburgi, & Bremæ.

§. 7. Et quia judicia olim in campis ſub dio celebrabantur, *unter dem freien himmel*, dicit Schottelius pag. 480. certitudo loci, ad quem comparandum fuit, ſigno aliquo designabatur, idque ſignum dicebatur, *ein mahl*, eratque aut *Lapis*, aut *crux*, aut *pertica*, aut *arbor*, uti olim quoque in Friſia noſtra Orientali *die Uſtalsboom*. Dum & in civitatibus, quibus imperator ſpiritum atque vitam, ſeu animam, ut vivant & vigeant, prout loquuntur Jcti, conceſſerat, in ſignum Judicii & jurisdictionis videbatur *ligna crux*, cui impoſita *manus & gladius*, de qua re ita legitur in vocabulario antiquo in voce *Weichbild*, *und iſt vor alters darbey bedeut gewesen, daß man ein groſſ höltzern creutz in einer Stadt oder Flecken auffgericht, darauff eine hand oder Schwerd geſteckt, zum zeichen der gericht über hals und hand*. Uti ſic demonſtravit Joh. Nicolai, in libello de Chirothecarum uſu & abuſu cap. 5. ubi oſtendit Chirothecas ſignum fuiſſe condendæ urbis, uti in ſpeculo Saxon. vel *Landrecht art. 9.* dicitur, *wo man neue Städte bauet, muß man da ein Creutze ſetzen auff den marckt, durch das man ſebe, daß Weichfried da ſey: und man hängt auch des Königes handſchuch daran, daß man ſebe, daß es des Königes wille ſey*. Ubi & in gloſſ.

gloss. additur, dass man weichfrieden habe durch des Königes vollwortung bestätigt, wann an dem creutz des Königes handschuch hange. Hinc refugium Saxonum ad crucem, uti Ritterhusius porro differit de jure Asylorum cap. 3. Quibus addo apud antiquos Hebræos quoque in usu fuisse erigere manum in victoriæ signum, & monumentum alicujus rei vocari מַנּוּ, manum uti 1. Sam. 15: 12. legimus de Saulo, postquam Amalekitas deleverat, venit Saulus in Carmelum & ecce statuit sibi manum. Hoc est, signum victoriæ. Et sic 2. Sam. 18: 18. de Absalomo legitur, Absalomus statuit sibi in valle regis מַנּוּ אֵת מַצֵּבָה statuam; nam dixit, non est mihi filius, qui nomen meum in memoria hominum servet, & vocavit illam statuam nomine suo, itaque appellatur illa usque in hunc diem מַנּוּ אֵת אֲבִישָׁלוֹם manus Absalomi, hoc est signum, monumentum, quo Absalomus demonstratur, & ejus nomen servatur ac propagatur ad posteros, uti Cel. Perizonius loquitur in origin. Babyl. cap. 11. pag. m. 199. Unde adhuc per Belgium variis in viis ac territoriis talis lignea manus erecta videtur.

§. 8. Et quia tale signum dicebatur ein mabl, descendit hinc Mallus, & Mablstat, ab antiquissimo vocabulo Celtico, notans locum judicii: imo hinc admallatus pro citatus. Præterea annotat Winkelman, quod mablen Teutonibus erat dicere ac sermocinari: adeo ut non abs re, nec inconvenienter Franci in-

fe-

feriores *Mallum* dicant *Parlamentum*, ab antiquissimo Germanico verbo *parlando*, i. e. colloquendo, unde *parler*, id est, loqui, & *parlamentum* est colloquium solemne. Imo unde & *mahlzeit*, belgice *maaltydt*, id est, convivium, ubi confabulatio fit, sicuti *Winkelman* disse- rit in not. *Vet. Saxo-Westphal. lib. 4. cap. 5.* Et uti statuae *Rulandinae*, secundum hanc derivationem sunt signa publici fori, sic *Winkelman* & alii putant ejusdem *Malli publici* quoque esse statuas *Weichbildicas* Saxonicas, derivantes vocem *Weichbild* ex *Wick*, vel *wich*, *wyk*, & *bild*, unde & *Weichfried*, & *Weichfried-recht*, uti & *Weichbildrecht*, pax municipalis, seu jus pacis in vico, quo jure fruebantur qui erant liberi seu in libertate constituti, *der kein besprochen Mann war*, id est, qui vitam a criminibus puram egerant, dum caeteri ejiciebantur vel poenam luebant, uti *Joh. Nicolai* in l. c. *cap. 5. §. 7. 8.*

§. 9. At quoniam in diplomate *Frederici I. imp. Anni 1186.* ter scribitur *Wichilethe*, judicat *Vir Cl. Joh. Eggelingius*, *Reip. Bremensi* a secretis cancellariae, in *miscell. Germaniae antiquit. Ex. 4. de Wichilethe*, ubi hoc diploma *Frederici Imp. proponit*, vocem *Wic-bi-lethe* compositam esse ex tribus, nempe ex *Wic*, vel *Wik* a *Wiken* cedere, recedere, se recipere: cum homines incursionis hostium vitandae causa convenire consueverint, & sic in certa loca & oppida se receperint: de.

deinde ex præpositione *bi*, & verbo *letten*, unde *beletten*, impedire, obesse, remorari, quasi *wikbelete* esset vici jus prohibendi, des *Wiksbelettungs-recht*, quo per potestatem legitimam, cujusvis huic juri obnoxii seu devincti conatus illegitimi juste interdiciuntur, cohibentur & impediuntur, ne quid damni exinde in societate fiat.

§. 10. Sed pace viri doctissimi ego vocem *Wicbiletbe*, cujus mentio ter fit in dicto diplomate imperatorio, dicerem compositam esse ex duabus, nempe ex *Wic*, *Wik*, vel *Wyk* & *biletbe*, id est, *facies*, *species*, *forma*, quæ vox ita occurrit apud Abbatem Willeramum, qui seculo XI. vixit, in *Paraphrasi Cant. Cant. p. 104.* ubi Ecclesia de Christo ait, *sin biletbe is also thes bergas Libani*, & pag. 24. *Stiured mich mid juwan goodan biletbe*, vel exemplo. Adeo ut *biletbe* sit *forma*, *exemplum*, *mos*, *regula*, *directio*, unde *bileed*, *beleyd*, a *beleyden*, id est, *regere*, *dirigere*, *componere*. Et sic *Wicbeletbe*, unde postea *Weichbild* venit, meo judicio notat *regimen*, *directionem*, aut *jurisdictionem* alicujus loci, aut oppidi, aut vici, nam *dorfer haben auch Weichbilds-regt* dicitur in *respons. Magdeb. p. 1. c. 2. dist. 18.*

§. 11. Et licet statutz Rulandinæ quoque ut signa talis publici Malli seu fori ac jurisdictionis possint considerari, tamen in dicta derivatione, qua *Ruland* a *rugen*, *accusare*, *judicare* & *Land* derivatur, non possum as-

sentire, quoniam *rugen* est verbum Germanicum, quod Saxonice dicitur *wrogen*, *wrugen*, uti & Kilianus *wroeghen* notare ait, accusare, deferre, & *wroegher*, accusator, *wroegberschap*, accusatio. *Kiliani dictionar. typ. Ultraj. 1632.* Idcirco difficile est compositam vocem *Rubland* derivare a *rugen*, quia tunc potius dicendum esset *Rugeland*, vel *wrogland*, *wrugland*, quomodo tamen nunquam occurrit; sed semper *Rubland*, vel *Ruland* vel *Roland* & *Roeland*. Ideo Celeb. Vir Joh. Henr. Egge-lingius in doctissimis suis *miscellaneis exercit. 5. de statuis Rulandinis* vocem *Rubland*, meo iudicio, rectè compositam dicit ex *Land* & *ruben*, vel *rowen*, quod non tantum notat *quiescere*; sed etiam *quietum reddere*, *pacare*. Et ut *Dwingeland* est *tyrannus*, & *Domeland*, *judex provincie*; sic *Rowe-Land*, *Rube-Land* est *pacator regionis*: imo sic occurrit hoc verbum *rouwen*, *ruwen*, *ruowen* pro *quiescere* non raro in paraphrasi in Canticum Canticorum lingua veteri Francica conscripta a Willeramio modo allegata pag. 11. *sage mir wine min war thu thine schaaph weythenes, war thu rouwes* & pag. 35. *thu woldest gerno allizana in lecto contemplationis ruowan*. Et sic alibi, ut Fr. Junius annotat in *observat. in Willeramum* pag. 23, edit. 1655. Et in notis ad textum Willeramii edit. a P. Merula dicitur, „verbum *rouwen*, *ruwen* aut „*ruemen* significat *quiescere*, quod & *rugen* dicitur, ut notat Althamerus in *Taciti mores* „Ger-

„Germaniæ: hinc *Gubernator provincie* paren-  
 „tibus nostris dictus est *Ruward*, quasi dicas  
 „servator quietis atque pacis. Et sic statua  
*Rulandica, Rulands-Bild*, dicit Eggelingius, ni-  
 hil aliud est, quam signum publicum ere-  
 ctum, seu *Bannus* Imperatoris super omnes  
 ad mercatum venientes, ut illuc eundo &  
 redeundo habeant pacem, vel ut pag. 19. al-  
 legat. differt. ait, *ein bekantes Zeichen der Markt-  
 Gerechtigkeit, Frey- und Sicherheit.* uti & in di-  
 plomatibus Imp. Ottonis I. Henr. II. & Fri-  
 derici I. dicitur, *Negotiatorum institorumque hu-  
 jus loci patrocinium & tutela.* Nam Otto Imp. con-  
 cesserat sic Licentiam fruendi mercatum in loco  
*Bremum nuncupato*, uti & *Bannum & theloneum*,  
*nec non monetam*, ac condonaverat negotiatores  
*eiusdem loci incolas tuitionis sue patrocinio*, &c.  
 uti pluribus hanc rem persequitur laudatus  
 Eggelingius in diff. citata. Sed redeo ad sco-  
 pum meum, a quo fortean nimis aber-  
 ravi.

§. 12. Quod jam vox *δικαιος* non semper  
 stricto sensu est *justus*, sed etiam *bonus*, *pro-  
 bus*, *honestus*, imo *pius* & *sincerus* probavit  
 modo allegatus Pfochenius, & sic notabilis  
 occurrit locus apud Sophoclem in *Philoctete*  
*vs. 81. pag. m. 475. edit. Cantabrig. 1665.* ubi &  
 per *ευσειβην* explicatur, sic enim *πανούργος* ac  
*δολβεις* Ulysses Neoptolemo, ut Philocteten  
 dolo circumveniat, dicit,

Τόλμα δίκαιοι δ' αὐτῆς ἐκφαινούμεθα.  
 Νῦν δ' εἰς ἀναίδες ἡμέρας μέρῳ βραχὺ  
 Δός μοι σεαυτὸν κατὰ λοιπὸν χρόνον  
 Κέκλησθ πάντων εὐσεβέσσι βροτῶν.

Quæ verba Latinus interpres sic vertit,

*Aufis, alias iterum erimus justii.*

*Nunc ad impudentiam, ad exiguum tempus*

*Te des mihi, postea*

*Voceris sane omnium hominum justissimus.*

scilicet, hoc volebat ille δολομήτης seu εἰδώς δόλους Ulysses dicere, jam debemus ad tempus aliquod non aperte suadendo, sed fallaciis ac dolo malo utendo Philoctetis animum circumvenire, eumque sermone fallere, uti vs. 53. & 54. quoque dicebat Neoptolemo τὴν Φιλοκλήτου σέ δεῖ ψυχὴν ὅπως λόγοισιν ἐκλήψῃς λέγων, & vs. 100. λέγω σ' ἐγὼ δόλω Φιλοκλήτην λαβεῖν, & postea iterum erimus justii, probi ac pii; uti & belgice diceremus, licet impio sermone, nu moeten wy voor deeze tydt eens goddeloos vveezen, daarna vvilken vvy vveder vroom zyn. Quare Ulysses statim quoque addit, postea voceris εὐσεβέσσι βροτῶν, piissimus mortalium. Et quod δίκαιος apud Græcos quoque sit bonus, & ἀνὴρ δίκαιος, vir bonus, ac indole præditus ingenua, patet ex Philemone, cujus Fragmenta collegit Clericus, & qui ex incertis comœdiis hæc Philemonis verba pag. 342. edit. Amst. 1709. profert,

Ἄνθρωποι δίκαιοι ἔσιν, οὐχ ὅτι μὴ ἀδικῶν,  
Ἄλλ' ὅσπερ ἀδικεῖν δυνάμενοι μὴ βούλεται.

i. e.

*Vir Justus est, non qui neminem injuria afficit,  
Sed qui, cum possit injuria afficere, non vult.*

Addens statim,

Ἄλλ' ὅσπερ ἀδολον γνησίαν τ' ἔχων φύσιν,  
Ἔιναι δίκαιοι καὶ οὐ δοκεῖν εἶναι θέλει.

i. e.

*Sed quisquis indole prae datus non fucata, & ingenua  
Esse justus, non videri vult.*

§. 13. Et sic ἀνθρώποι δίκαιοι hic posset expli-  
cari pro tali viro, qui non stricto utitur ju-  
re, qui non facit, quod quidem posset, sed  
qui humanus, misericors, & sic vere bonus  
est. Qui quidem non impius seu injustus  
est; at vero qui etiam non rigide agit. Et  
sic Josephus erat talis ἀνθρώποι δίκαιοι, qui bo-  
nus & benignus erat, qui volebat Mariam,  
etiamsi vitiatam, atrocitate juris persequi,  
aut ut meretricem aut adulteram publice  
traducere, quoniam, ut Keuchenius bene ob-  
servat, in N. ad N. T. p. 5. distingui debet in-  
ter meretricem seu prostibulum, & inter vi-  
tiam, graece βεβηλωμένην, hebr. אלהה,  
vitiatam, violatam, pollutam, a verbo אלה in  
genere violari, quae non est publicata, ut  
אלהה meretrix, aut אלהה scortum publicum.  
Animadvertet Mariam quidem  
gravidam esse, tamen persuasus erat, eam  
non esse meretricem, nota enim ipsi erat

Mariæ vitæ integritas, sed unde jam gravida facta erat, nesciebat. Idcirco eam volebat ut meretricem, palam traducere, aut coram iudicibus in Synedrio publice summa ignominia afficere; sed *λάθρα ἀπολύσαι*, clam dimittere, id est libello repudii coram duobus testibus dimittere, ut posset nubere ei, a quo fortean suo iudicio vitiata esset. Duplici modo eam poterat dimittere, vel publico libello repudii, Hebr. כְּרִיתוּת בִּפְרֵי libello abscessionis, dicto, coram Synedrio, id est, publice, vel clam, id est, coram testibus duobus, dataque ei scheda dimissionis propria sua manu scripta, & sic libera voluntate animi eam dimittere, ut iterum libera & domina sui ipsius esset, ad nubendum omni viro cui voluerit. Vide tract. de divort. in Misna Surenhusii tom. 3. pag. 322. &c. Buxtorf. de Synag. Jud. cap. 40. ac in dissert. de Sponsal. & divort. pag. 78. ut & Lightfoot Hor. hebr. in Matth. 5:31, 32. oper. tom. 2. pag. 290. In eo igitur Iosephus suam præcipue ostendebat benignitatem, ut Mariam non publicæ ignominia vellet exponere, aut in foro cum ipsa agere, quomodo coram omni populo ut meretrix traducta fuisset; sed non eam more ævi sui βιβλίω ἀποσεισίου propria sua manu scripto ipsaque tradito privata dimissione dimitteret. Unde Chrysofomo δίκαιος hic χενός, i. e. bonus, probus, benignus, qualis ille est, qui pœnas legibus præscriptas non rigide exigit.

Et

Et sic nos belgice dicimus, *hy is en goedt Man, hy zal 't op 't strengste niet zoeken.* ita hanc rem quoque explicat Beza in tract. divor- tiis & repudiis p. 259.

§. 14. Et sic optime hic quadrat verbum παραδειγματίζειν, in quo secundus observatur in hoc versu hebraismus: quod sane miror, quoniam vera vis hujus verbi non nisi ex Græcis haurienda sit fontibus. Licet enim apud LXX. Interpretes Græcos, apud quos ter tantum occurrit, semel usurpetur pro ὑπὲρ suspendere, Num. 25: 4. ut & pro חָמַם vim facere, Jer. 13: 22. & pro רָאָה, videre, Ezech. 28: 17. Apud Græcos auctores profanos tamen, uti & apud Patres Græcos, proprie non notat supplicio afficere, uti doctil. Sui- cerus perperam primo loco ponit, in *Thesau- ro Eccles. tom. 2. col. 570.* sed *publicæ ignominie exponere, vel exemplum statuere, aut aliquem sic tractare, ut aliis exemplo sit.* Hæc puto est ve- ra & propria significatio & vis verbi παρα- δειγματίζειν, quod bis in Novo Test. occurrit, hoc loco, & Hebr. 6: 6. uti & δειγματίζειν, quod semel occurrit, nempe Col. 2: 15. & διαδειγματίζειν, quo utitur unus Græcorum Interpretum, fortean Theodotion, Psal. 22: 13. ubi ὁ δ' legunt ταῦτοι πῶτες περιέσχον με, at alius interpres Græcus δυνάσαι βασιὺν διαδειγ- ματίσαντι με.

§. 15. Derivantur enim hæc verba δειγ- ματίζειν, διαδειγματίζειν, & παραδειγματίζειν, a

δειγμα, exemplum, quod descendit a præter. pass. δέδειγμα, verbi δεικνύω vel δείκνυμι, ostendo, vel ab antiquo δείκω: quodque alii iterum derivant a Chaldaico verbo קׁי in Pahl קׁי advertere, considerare, prospicere, accurate perpendere, unde קׁי קׁי consideratio & קׁי observator. Adeo ut vis verbi sua natura nullam includat poenam, aut ullum supplicii specimen. Quare ex omni parte verum non est, quod doctissimus Salmasius de hoc verbo tradidit, nempe antiquos Græcos & Atticos scriptores, maximeque idoneos auctores παραδειγματίζειν pro supplicio afficere posuisse; at apud Græcos recentiores, dicit Salmasius, παραδειγματίζειν id magis significat, quod Latinis est traducere, aut Ludibrio habere. Non nego, verbum παραδειγματίζειν aliquando usurpatum fuisse pro punire; sed nego, hanc esse veram ac propriam huius verbi significationem: Licet enim, qui punitur, exemplum sit, & punitio propter exemplum sit necessaria, ut cæteri similibus a peccatis, quæ prohiberi publicitus interest, metu cognitæ poenæ deterreantur, ut A. Gellius loquitur lib. 6. cap. 14. Unde veteres exempla pro maximis gravissimisque poenis dicebant. Quare & Plato, in Gorgia, notante quoque A. Gellio, duas puniendi causas statuens, dicebat, προσήκει δὲ παντὶ τῷ ἐν πτωχείᾳ ὄντι ὑπ' ἄλλου ἐρῶς πτωρουμένῳ ἢ βελτιῶνι γίνεσθαι καὶ ἐντάσθαι ἢ παραδειγματίζειν πᾶσι ἄλλοις

ἄλλοις γίνεσθαι, ἵνα ἄλλοι ὄρωντες πάσχοντα ἢ ἂν  
 πάσχοι φοβούμενοι βελτίους γίνονται, id est, id  
 autem conveniens est, ut qui plectitur ab alio recte  
 puniente, melior fiat, & utilitatem capiat, aut  
 exemplo cæteris sit, quo videntes alii male affe-  
 ctum, præ metu reddantur meliores. Qui ergo  
 punitur aut in conspectu omnium publico  
 afficitur supplicio, aliis quidem est exem-  
 plum, tamen non sequitur, propriam ac pri-  
 mam significationem verbi παραδειγματίζειν,  
 uti nec phraseως παραδειγμα ποιῆσαι, esse pu-  
 nire, aut supplicio afficere; sed publicæ ignomi-  
 niæ exponere, aut exemplum statuere &c. Ar-  
 tissime quidem hæc sunt conjuncta, scil. pu-  
 blice aliquem punire, & facere ut aliquis exem-  
 plum sit; quia Judex reum ac damnatum pu-  
 blice justeque puniendo, pœnaque affi-  
 ciendo exemplum statuit ac facit, ut  
 talis damnatus pœnaque affectus aliis  
 exemplum sit, unde παραδειγματίζειν ali-  
 quando pro κολάζειν, ut Theophylactus quo-  
 que exponit, sumi potest, & apud auctores  
 aliquando usurpatur, uti & apud Terentium  
 exempla in aliquem edere exponitur pro punire,  
 & vocabulum exemplum apud Tacitum &  
 Claudianum pro ipsa pœna usurpatur: inde  
 tamen nemo sanæ mentis dicere potest, quod  
 propria & prima significatio vocabuli exem-  
 plum sit pœna aut punitio, aut quod παρα-  
 δειγμα propriè notet κόλασιν vel πρωείαν.

§. 16. Ut igitur παράδειγμα & κόλασις vel  
 πινωρία, sic παραδειγματίζειν & κολάζειν sunt  
 plane diversæ res, quæ quidem sæpe arctis-  
 sime conjunctæ sunt; tamen potest aliquis  
 παραδειγματίζεσθαι, qui non publice ultimo  
 afficitur supplicio: ut ex Polybio, apud  
 quem hoc verbum sæpe occurrit, manifestis-  
 sime patet, παραδειγματίζειν diversum esse a  
 κολάζειν, quia πινωρία aliquando ut diversa  
 res huic verbo additur. Vide Locum alle-  
 gatum ex Lib. 2. cap. 60. apud Polum ad  
 hunc Loc. sed videamus alium Locum, ubi  
 verbum παραδειγματίζειν absque publico af-  
 flicto supplicio tantum pro ignominia exponere,  
 vel publicare ad exemplum aliorum, occurrit,  
 hic extat apud eundem Polybium in exc.  
 Legat. c. 88. p. m. 834. ubi ita auctor hic lo-  
 quitur, ἡ δὲ σύγκλητος χρωμένη τῷ καιρῷ, καὶ  
 βουλομένη παραδειγματίσαι τοὺς Ῥοδίους, ἀπέκρη-  
 σιν ἐξέβαλεν, ἧς ἦν τὰ συνέχοντα ταῦτα, quæ ver-  
 ba Casaubonus ita vertit, *Senatus ea occasione*  
*usus, quum publicare, ad exemplum aliorum,*  
*stultitiam Rhodiorum vellet, responsum edidit, cu-*  
*jus præcipua capita hæc erant, nempe existimare*  
*Senatum Romanum, Rhodios, qui victo jam*  
*Perseo legatos miserant, qui dicerent se mis-*  
*sos esse ad dirimendum bellum, neque propter*  
*utilitatem Græciæ, neque studio populi Romani,*  
*sed pro Perseo legationem eam misisse* &c. imo ju-  
 dicat Senatus Romanus, dicit Polybius, per-  
 spicuum esse, Rhodios legationem misisse non ad  
 pa-

pacem faciendam, sed ad Perseum ex periculo, quod in ipsis foret, eripiendum. Propterea censere Patres, neque Lautia aut aliud beneficium, neque ullum benignum responsum legatis dare se debere. Quoniam igitur ita fraudulenter egerant Rhodii, idcirco placuit Senatui Romano hanc Rhodiorum stultitiam ita παραδειγματίζειν, i. e. ut Casaubonus recte exponit, publicare ad exemplum aliorum, vel publice quasi in scenam producere, ut Polybius ipse hoc verbum ita exposuit, quando paulo ante dicebat, quo tempore victus Perseus effugit, placuit Senatui legatos Rhodiorum, qui ad pacem cum Perseo faciendam venerant, in curiam vocare, τῆς τύχης ὡσπερ ἐπίτηδες ἀναβιβάζουσης ἐπὶ σκηνήν, τὴν τῶν Ῥωδίων ἀγνοίαν, fortuna velut de industria in scenam producente Rhodiorum stultitiam, explicans sic hoc verbum παραδειγματίζειν per ἀναβιβάζειν ἐπὶ σκηνήν, producere in scenam, & sic publicæ exponere ignominia.

§. 17. Et, uti pro παραδειγματίζειν non tantum apud Polybium reperitur παραδειγμα ποιῆν, exemplum statuere, lib. 4. cap. 23. & alibi, sed etiam sæpius apud Demosthenem pag. 213. c. 399. A. 416. B. & alibi, sic hæc locutio quoque ἀκολάζειν, punire, ut diversa res distinguitur apud eundem Demosthenem, in orat. adv. Timocrat. pag. 490. πάντων οὖν ἐνεκα τῶν εἰρημένων, ἀξίον ἐστὶν ὀργισθῆναι, καὶ κολάσει, καὶ παραδειγμα ποιῆσαι τοῖς ἄλλοις τούτων, propter hæc omnia quæ diximus, par est trāsci, & puni-

punire illum, & facere ut aliis sit exemplum.  
 Sic τιμωρεῖν, punire & παραδειγμα ποιῆσαι,  
 exemplum statuere. Licet arctissime conjun-  
 gantur, tamen ut diversæ res occurrunt quo-  
 que orat. de falsa legat. pag. 246. B. πρὸς οὐ-  
 δὲν ὑμῖν συμφέροι τοῦτον ἀφείναι, ἀλλὰ τιμωρησα-  
 μένους παραδειγμα ποιῆσαι πᾶσι, καὶ τοῖς πολίταις  
 καὶ τοῖς ἄλλοις ἕκαστον, ad nullam rem vobis pro-  
 dest illum absolvi, sed ut puniatis in exemplum  
 omnium, & civium & aliorum Græcorum. Con-  
 cedo, hanc phrasin παραδειγμα ποιεῖν, exem-  
 plum statuere ab ipso Demosthene usurpari  
 pro supplicio afficere, vide loca allegata, quia  
 ii, qui publice puniuntur, in aliorum exem-  
 plum puniuntur; tamen minime sequitur,  
 primam ac propriam significationem hujus  
 phrasæ esse supplicio afficere; sed tantum  
 exemplum statuere, quod sæpe puniendo fit.  
 Sic Theophylactus ad Hebr. 6: 6. hoc ver-  
 bum παραδειγματίζειν quoque explicat per  
 δελαμβεύειν, & sic δελαμβεύειν ab Euagrio  
 sumitur pro Ludibrio exponere, quando Pa-  
 triarcha Imperatori sic minatur, δελαμβεύσω  
 σε τοῖς δήμοις, Ludibrio te exponam populis:  
 Non quod propria significatio verbi δε-  
 λαμβεύειν sit Ludibrio exponere, cum pro-  
 priè notet triumphare, in triumpho so-  
 lennique pompa ducere; sed quia tri-  
 umphantes in triumpho suo solebant ca-  
 ptos ostendere civibus hostes, eosque ma-  
 nibus post terga revinctis per ora omnium tra-

traducere, inde metaphoricè *θελαμβεύειν* usurpatur pro *παραδειγματίζειν*, quod ultimum verbum Theophylactus non male quoque exponit per *κατασχύνειν* contumelia afficere, Chrysostomus homil. 3. in *Matth.* *ἐκκομπεύειν* & *ἀπμάζειν*, etiam contumelia afficere, ab aliis quoque exponitur per *ἐκθεατίζειν*, *ἐκφραυλίζειν*, *σηλιπέειν*, *κατασηλιπέειν*, *πελάπτειν*, *ἀπμίαν ἢ αἰσχύνην πελάπτειν*, quæ omnia affectionem publicæ ignominia ac infamiae notam includunt. Et si Latinitas ferret, uno verbo cum Augustino possemus dicere *exemplare*. Quicquid sit, nullo significantiori verbo poterat Matthæus uti, quam hoc verbo *παραδειγματίζειν*.

§. 18. Cum igitur propria significatio hujus verbi non sit *punire*, ut Suicerus, Salmasius ac alii perperam dixerunt; sed *in exemplum statuere, traducere, & publica afficere ignominia*, ut jam ex Polybio, ac aliis probavi, sequitur, hic nullum dari hebraismum, sed purissimum Græcismum, quoniam Evangelista hoc verbum hic eo sensu adhibet, quo proprie apud optimos Græcos usurpatur auctores: quare in commune commodum optasem, ut Lexicographi ac commentatores verborum in omni lingua, maxime in Hebræa & Græca, semper primo Loco posuissent propriam verborum vocabulorumque significationem, dein impropriad, ac metaphoricam: certè sic multi in tantos non inci-

cidissent errores, uti jam aliquoties videmus: at quoniam non rarenter *πυναντίον* fit, incedunt sæpe animos non admodum omnia doctos Lexicisque suis nixurientes de veris verborum significationibus, & multa alias *ῥ*atis clare ac luculenter dicta nimis obscura reddunt, velamentisque involvunt.

§. 19. Ad phrasin *ἐβουλήθη λάθρα ἀπολύσαι αὐτήν*, coronidis Loco addo, quomodo uxorem dimittere, uti Suetonius loquitur in Nerone cap. 17. Græci sic de viris loquuntur vel *ἀπολύσαι γυναῖκα*, uti hic & *Matt. 19: 3.* & *Marc. 10: 2, 4.* quoniam *ἀπολύσαι* notat dimittere, a suo consortio ablegare, repudiare, &c. quo verbo LXX. utuntur pro *ᾠρα*, *Ps. 34: 1.* ubi nostri dicunt *vvegjaagen.* vel *ἀφιέναι*, ut apud Plutarchum, cum ait, *καῖσαρ τῆς Περπηίαν ἀφίκε:* vel *ἐκβάλλειν*, *ejicere*, *ἐκβάλλειν γυναῖκα ἐκ τῆς οἰκίας*, *καὶ οὐκέτι συνοικεῖν αὐτῇ*, ut apud Demosthenem *orat. in Neeram pag. m. 524. 525. 529.* unde apud Thomam Magistrum *pag. 18. ἐκβάλλει ὁ ἀνὴρ τὴν γυναῖκα*, & apud Libanium, *ἐκβάλλει τὸ γυναικόν.* vel dicebant *ἀποπέμπειν dimittere*, vel per verbum medium *ἀποπέμψασθαι a se dimittere*, ut apud Demosthenem *orat. in Neeram pag. m. 524. εἰάν ἀποπέμψη γυναῖκα, ἀποδιδόναι τὴν δευτικὰ, si dimiserit uxorem, reddat dotem*, & si hoc recufaret vir, tenebatur novem obolos usuram pendere. Sic apud  
He-

Herodianum lib. 5. cap. 6. com. 1. de Helio-  
 gabalo dicit, duxit praterea uxorem, illu-  
 strissimam Romanam sceminam, μετ' ὀλίγον  
 χρόνον ἀπεπέμφατο, paulo post tamen eam  
 repudiavit. & com. 4. eodem utitur verbo. sic  
 Fl. Josephus Antiq. Jud. lib. 4. cap. 8. pag. m.  
 125. ubi de virgine desponsata, accusata &  
 in jus vocata ait, si fuerit absoluta, digat in ac-  
 cusatoris conjugio, μηδὲ μίαν ἐξουσίαν ἔχοντες  
 ἐκείνου ἀποπέμψαι αὐτήν, isque nullum post-  
 ea dimittendi eam jus habeat Ωc. Unde ἀπο-  
 πομπή, & ἀπόπεμψις, dimissio, & ἀποπομπῆς  
 δίκη, iudicium de dimissione. apud Demosthe-  
 nem orat. in Neeram pag. 525.

At vero si uxor discederet a viro, diceba-  
 tur ἀπολείπειν, relinquere, vel deserere, ut Mar-  
 tialis loquitur libr. 10. epigr. 41. unde ἀπολείψις,  
 relictio, & δίκη παρὰ τῷ ἀνδρὶ ἀπολείψεως,  
 iudicium de relictione viri, de qua videatur De-  
 mosthenis oratio prior in Onetorem pag. m.  
 569. ubi ποιείσθαι τὴν ἀπόλειψιν, uti & χα-  
 ραίρειν & ἀποχαίρειν ἀπόλειψιν πρὸς τὸν ἀρχοντα  
 occurrunt, uti & χαίματα τῆς ἀπολείψεως  
 παρὰ τῷ ἀρχοντι θεῖσθαι, relictionis monumenta  
 apud Archontem deponere, apud Plutarchum in  
 Alcibiade; nam, libellus divortii vel reli-  
 ctionis non per alium, sed ab ipsa uxore de-  
 bebatur scribi ex lege Solonis, quæ dicebat,  
 uxor quæ virum relinquit, τὰ τῆς ἀπολείψεως  
 χαίματα libellum divortii, seu relictionis ipsa,  
 non per alium, Archonti prasens offero. Hinc  
 ite-

iterum Thomas Magister Loco allegato dicebat, ἀπολείπει ἡ γυνὴ τὸν ἄνδρα, uxor virum relinquit, additque exemplum ex Aristophane in nubib. ἀπολιπῶσα γὰρ αὐτὸν ὤχετο, cum enim ipsum relinquisset abiit. videatur ibi Bos in notis p. 8.

Hinc solœcismum vocat Lucianus, in dial. pseudof. p. m. 835. Tom. 3. edit. G. Cognati, cum quis de viro diceret ἀπολείπειν γυναῖκα, relinquere uxorem, quoniam de viris dicitur ἀποπέμπειν, ἀπολύσαι, vel ἀφιέναι vel ἐμβάλλειν γυναῖκα, dimittere, vel ejicere vel exigere uxorem. Uti & solœcismus esset, si quis de uxore diceret ἀποπέμπειν τὸν ἄνδρα, dimittere, aut ἐμβάλλειν, ejicere virum, quoniam uxor nupta ac religioso confarreationis vinculo viro juncta deducebatur in domum mariti, & idcirco non poterat maritum ejicere ex illis œdibus, quarum ea non erat domina, sed maritus Dominus; sed poterat illa maritum relinquere, atque ab illius œdibus recedere: imò juxta Judæorum leges uxor libellum repudii merito non poterat mittere, licet Salome, orto dissidio, miserit marito suo γεραμμάπον ὑπολυομένη τὸν γάμον libellum repudii ad solvendas nuptias, erat tamen hoc, dicit Josephus, contra leges judæorum, apud quos solis maritis Lex hoc jus permittit. Antiq. Jud. lib. 15. cap. 11. pag. m. 532.

Et uti Latini de viris dicebant repudiare, repudiana dicere, scribere, mittere, etiam renun-

tiare, remittere nuntium, exigere, unde apud Ciceronem Philipp. 2. Minam exegit, uti & jubere foras vadere, ire, vel petere, ut apud Martialem Epigr. 105. lib. 2. uxor vade foras, aut moribus utere nostris & apud Varronem, quod parere ea poterat mulier, foras petere jussit, allegante Nonio Marcello cap. 2. §. 73. pag. m. 527. ubi ait, quo betere est ire, uti Pacuvius dicebat, vos betite defensum patriam in pugnam. videatur quoque Briffonius de Formul. lib. 8. pag. m. 723. sic distinguebant Latini etiam aliquando inter divortium & repudium, uti videre est l. 101. de verb. signific. ubi notatur divortium inter virum & uxorem fieri dicitur, repudium vero sponse remitti videtur, quod & in uxoris personam non absurde cadit. Et patet hæc distinctio quoque ex formulis; nam formula repudii erat, *conditione tua non utor*; at formula divortii erat, *res tuas tibi habeto, res tuas tibi agito*, vide Briffonium de formulis lib. 8. & ejus librum singular. ad legem Juliam de Adulteriis pag. m. 281. Ad quam formulam Cicero Philipp. 2. cap. 28. respiciens dicebat illam suam, nempe Minam, quam repudiabat Antonius, *suas res sibi habere jussit ex duodecim tabulis, causam addidit, claveis ademit, foras exegit*. Vel dicebat vir, *confestim thoro meo diverte, res tuas tibi habeto*: ut Cupido laceffitus a Psyche apud Apulejum loquitur *Metamorph. lib. 5. pag. m. 86*. Erat enim *repudium* nuptiarum direptio

aut renuntiatio ut & sponsaliorum; at *divortium* separatio a nexu conjugii, a *verto*, gr. *διάλυσις γάμων*, verum tamen non semper observatur hæc distinctio, uti liquet ex Titulo Codicis *de repudiis*, in quo tamen agitur de divortiis: & hinc Festus quoque dicebat, *de verbor. signific. pag. m. 405.* quomodo Verrius *repudium* aiebat dictum, quod fit *ob rem pudendam*, ubi procul dubio ad matrimonium respicit, quoniam pudenda res est, matrimonii reticenda publicare, uti referente Justino *lib. 1. cap. 7.* Lydorum rex Candaules faciebat; intercedunt enim inter maritum & uxorem varia secreta ac familiaria colloquia, amatorique verba atque mutui sermones nocturni intra cortinas, qui celandi sunt, & quos postea absque pudore publicare nemo potest, vel ipsa verecundia in propatulo effutire vetat.

Et nullus dubito, quin, ab hoc Latino vocabulo *repudium*, scriptores mediæ & infimæ Græcitatæ hauserunt suum *ρεπούδιον*, uti & a verbo *repudiare* suum *ρεπουδιατέυειν*, quod apud Jurisconsultos Græcos passim occurrere dicit Suic. *in Thes. T. II. p. 903.* unde dicitur *ρεπουδιῶ λύειν τὸν γάμον*, *repudio dissolvere matrimonium*, vel *dirimere conjugium diffarreatione*, uti Latini loquebantur, notante Brissonio *de ritu nuptiar. pag. m. 478.* ubi ait *diffarreatio erat genus sacrificii, quo inter virum & mulierem fiebat dissolutio: dicta diffarreatio, quod*  
*fic.*

feret farreo libo adhibito. Et sic *ρεπούδιον*, *repudium*, in Glossis Basilicis explicatur, *διαζύγιον*, χωρισμὸς γάμων δια' πιπτακίων *separatio conjugii per schedulas* & *ρεπουδιατεύειν* per *ὑποχωρεῖν*, ἀφιστάσθαι, uti videre est apud Du Cangium in Gloss. Græco script. p. 1290. *Idem repudium apud Græcos patres quoque dicebatur διέσιον*, unde *σέθειν διέσιον* pro *σέθειν ἀφζύγιον* &c. vide Suic. in *Thej. T. I. p. 907.*



III.

70. GEORGII MICHAELIS

Dissertatio

DE

ABRAHAMO ET ISAACO a Græcis in Hyrieum & Orionem conuersis.

SUMMARIUM.

Græcos plurima ex S. scriptura desumpsisse §. 1. Historia Orionis ex Palæphato repetita §. 2. Verba Palæphati emendantur. §. 3. Orion & Hyrieus nomina ex *Ω* deriuanda esse. §. 4. Ha-

ranem in Tanagram esse conuersam, Sarant in  
 Coloniam §. 5. Improles Abrahamus cum Hyrieo  
 compositus. Illustratur locus Gen. XV. 2. §. 6. Ho-  
 spitalitatis virtutem antiquitus sancte cultam fuisse.  
 §. 7. Angelos existere, etiam philosophos gentiles  
 non ignorauisse. §. 8. In angelorum ortum & na-  
 turam ex sententia potissimum Hieroclis inquiritur  
 §. 9. Nouerunt etiam angelos malos facinorosis ho-  
 minibus exagitandis destinatos, hinc non omnino  
 constat nomina Deorum gentilium in dedecus gen-  
 tilismi pessimis genis attributa fuisse. §. 10. Tres  
 viros Abrahamo apparentes in tres Deos conuer-  
 sos fuisse §. 11. Natiuitas Isaaci cum illa Orionis  
 composita §. 12. Mors Orionis cum sacrificio  
 Isaaci intentato comparatus §. 13. Quomodo dici  
 possit, ipsum inter sidera fuisse relatum §. 14.

## §. I.

**G**entes, in iisque potissimum Gra-  
 cos, qui ex omnibus populis na-  
 tionibusque sapientissimi fere an-  
 tiquioribus temporibus habeban-  
 tur, plurima, quæ ad Deorum,  
 heroumque ortum, eorundemque res gestas  
 illustriores atque cultum spectant ex histo-  
 ria sacra & traditionibus *παροιμαγεδοταις* deri-  
 uasse, res est oppido manifesta & plurimo-  
 rum industriam exercuit. Cum enim mor-  
 tales omnes, quotquot per terrarum orbem  
 late sunt dispersi, communem ortum atque  
 stirpem adgnoscant (quorum quidam in san-  
 ctorum patrum, quos clementissimus Deus  
 crebris alloquiis dignabatur, deque cultus  
 sui

fui ratione curatius instruebat, familiis aliquamdiu continebantur) dubitandum non est, quin in diuinarum reuelationum, verumque a populo Dei gestarum notitiam ex parte peruenerint. Quæ postea, diuina prouidentia moderante, sedibus suis emoti, inque alias mundi regiones delati, secum deportauerunt, suisque liberis iugiter instilla- uerunt, vel etiam secuturis temporibus vi- cturis chartis commiserunt. Accessit Phœ- nicum Judææ vicinorum migratio ac com- mercium per remotissimas regiones institu- tum, quorum beneficio res Judæorum ad alias gentes fama sunt diuulgatæ. Eæ au- tem putidissimis Græcorum fabulis adeo sunt conspersæ, deturpatæque, vt quid di- stent æra lupinis, difficile admodum sit iudi- catu. Sed ne quis hæc a nobis temere di- ci existimet, hæc vice exemplo Orionis Hy- riei filii illustrasse sufficiet. Quotus enim quisque huius historiam cum historia Abra- hami ac Isaaci nati componet, illam ad hu- ius imitationem effictam fuisse, illico depre- hendet, cuius rei ipse optimus mihi sum testis. Quamquam in huius sententiæ ve- ritate postea magis fuerim confirmatus, quando animaduerti *Illustrem Huetium De- monstr. Euangel. Prop. IV. Cap. X. f. m. i. sr. & Cl. Gurtlerum Orig. Mundi L. II. c. XXXIV. §. 5. p. 882. 883.* hanc vel bre- uissimis lineis digito quasi monstrauisse.

Quam si ulterius inuestigabo, suisque tibici-  
nibus confirmabo, non committam, opinor,  
aliquid, quod a persona mea omnino sit alie-  
num, nec operam atque oleum perdam.  
2. Ut autem de re integra exactius iudi-  
care liceat, iuuabit Orionis historiam, iis  
tantum prætermittis, quæ honestas aures of-  
fendunt, hæc repetere, quo in illam ani-  
mum, obtutumque oculorum nostrorum  
continuo defigere possimus. His autem fe-  
re concepta est verbis: *Τελεός Ποσειδωνος καὶ*  
*Αλκυονης, μιας των Ατλαντος θυγατρων, ωκει μεν*  
*εν Ταναγρα της Βοιωτίας. Φιλοξενώτατος δε, υπε-*  
*δεξατο ποτε της Θεης. Ζεος δε καὶ Ποσειδων καὶ*  
*Ερμης επιξενωθεντες αυτη καὶ Φιλοφροσυνην υπε-*  
*ξαμεν, παρηνεσαν αυτην, οτι αν βελουτο. ο δε*  
*απεικνω, ητησεντο παιδιων διελθοντων εγενετο*  
*ο Ουελων, επειτα Ωελων ονομασθεις. συγκυνησιν δε*  
*υτ Αρτεμιδι, επεχειρησεν αυτην βιασασθαι. οργη*  
*θεισα δε η Θεα, ανεδωκεν εκ της γης σκορπιον,*  
*ος αυτον πωληξας κατα τον αεραγαλον απεκλεινε.*  
*Ζεος δε συμπαισισος κατισερωσεν αυτον. Hyriens*  
*Neptuni & Halcyones filius unius ex Atlantis fi-*  
*liabus, habitabant Tanagra, ciuitate Bœotic. Cum*  
*autem esset maxime hospitalis, excepit aliquando*  
*Deos. Jupiter autem & Neptunus & Mercurius*  
*ab ipso excepti hospitio & benigne habitii, ipsam*  
*sunt hortati, ut, quod vellet, peteret. Hic autem*  
*improles cum esset, petiit filium. Illis discedenti-*  
*bis, natus est Vrion, postea Orion est adpellatus.*  
*Hic autem una cum Diana quam in venatione es-*  
*set,*

set, sustinuit eidem vim inferre. Quare Dea ira incensa, ex terra produxit scorpionem, qui ipsum percussio talo interfecit. Jupiter autem tristitia & dolore tactus, hunc ipsum inter sidera retulit.

§. 3. Quod Orionis historiam, vel potius fabulam, saltim historiam multis fabulis respersam spectat, eam Euphorion, Homeri Scholiastes, Palæphatus & Isaacius Tzetzes hisdem fere verbis referunt, ex quibus Natalis Comes, quæ mythol. L. VIII. c. XII, habet, maxima ex parte desumpsit. Observandum autem, ea, quæ in Palæphati incredibilibus de Orione isto recensentur, a Palæphati manu minus profecta esse, quod ipsum animadvertit erudit: Galeus, eo maxime, quod in codd. Oxoniensi & Arundeliano non comparent, sed vel ex Euphorione vel Homeri Scholiaste sunt adiecta. Quæ causa est etiam, quare nulla his, prout ceteris, επιχευσις subiungatur. Priora autem huius articuli verba: πρεσβυτερων. Διὸς καὶ Ποσειδῶνος καὶ Ἐρμῆος, vel gratis inspersa mihi videntur, vel medicam manum necessario postulant. In proxime quippe sequentibus Hyrici parentis, quem Neptuno & Alcyone natum comminiscitur, memoriam renouat &, quæ circa natiuitatem Orionis filii contigerint, enarrat. Ad quem proinde ea, quæ præcedente temeritate dixerat, referri nequeunt. Sin ad titulum siue inscriptionem huius articuli: Πρεσβυτερων referenda ut verborum series

atque nexus sibi constet, omnino ita legi debent: Διῶ, Ποσειδωνῶ καὶ Ἑρμῆ παιδῶ, nisi quis ellipsin κατὰ τὴν Διῶ, Ποσειδωνῶ καὶ Ἑρμῆ παῖς in iisdem admitti malit. Hæc autem medela si recipiatur, omnia facile fluunt, Namque Orion ex caussis iamiam dicendis Jouis, Neptuni atque Mercurii filius habebatur, quare etiam, iudice Tzetze, Lycophroni τελευτῆ Alex. v. 328. dicitur, quoniam ab ante dictis Diis productus fuisse fertur.

4. Cum inuestigatio nominum in omni disciplina maximi sit momenti & utilitatis longe grauissimæ, cuius cognitione accuratior in rei ipsius, si non plenam semper & perfectam, saltem mediocrem quis notitiam peruenire potest, optimo iure in hoc doctrinarum genere ab ονοματολογία exordium fieri potest. Quod si enim nominum similitudinem certis argumentis demonstrauerimus, subiuncta ἀποδείξει indubia, integram rerum gestarum enarrationem illis personis conuenire, quarum nomina non tam longe quæsitis rationibus, quam quæ sponte sua se nobis offerunt, deteximus, rem euictam fore nulli dubitamus. Hanc autem positionem ut beneuolus lector mihi concedat, postulo: nomina Hyriei ὁ Orionis, licet secundum fabularum magistros sint diuersæ originis, ad unum tamen eundemque ortum referri omnino debere, idemque illud nomen non tam proprium, quam gentilitium censendum esse. Horum natales



reck & cholem potissimum in iis nominibus, quæ a quiescente media originem suam deducunt, permutantur. Sic ex  $\eta\gamma$  fit  $\eta\gamma$  ex  $\eta\delta$ ,  $\eta\delta$ , alia exempla brevitatis studio prætermitto. Ipsum illud etiam in conuersione nominum apud Græcos obtinet. *Alexandrini* ex  $\text{לבנה}$  faciunt  $\Theta\omicron\beta\epsilon\lambda$  I. Par. I. 5. ex  $\text{הוש}$   $\Sigma\omega\epsilon$  v. 32. Ex Græcis scriptoribus exempla quædam, quæ huc faciunt, produxit magnus *Salmasius* ad *Consecr. Temp.* in agr. Her. p. m. 29. 30. edit. Cren. Præterea *Palæphatus*, vel quis huius adsumenti fuerit auctor, animaduertit, hunc ipsum primitus  $\text{Ουρεωνα}$ , postea vero  $\text{κατ' ευφημισμον Ωρεωνα}$ , dictitatum fuisse. Quam vero  $\text{ονομαστιας}$  fingit rationem, ridicula est prorsus & ab omni honestate remota, quales fere solent esse Græcorum in nominibus domi non natis, quorum cum originem æque ac significationem ignorant, ne illorum omnino expertes videantur, quælibet potius comminisci, quam suam ignorantiam profiteri malunt. Quod in voce *Byrsa* & fratrum *Cadmeorum* fabula a viris eruditis iamdudum fuit demonstratum. Eandem iam, quam *Orion*, originem adgnoscit *Hyriens*, ex  $\text{יריא}$  enim gentilitio, schureck in kibbutz mutato fit  $\text{יריא}$  cui si additur terminatio  $\text{eus}$  enascitur  $\text{Υριεύς}$ . Terminatio autem  $\text{eus}$  hic non minus ac  $\omega\gamma$  est gentilitia, quod liquet ex  $\text{Ιλιεύς}$ ,  $\text{Θεσσαλονικεύς}$ ,  $\text{Θαρσεύς}$ ,  $\text{Κολοσσεύς}$  ex  $\text{Ιλιον}$ ,  $\text{Θεσσαλονικεον}$ ,  $\text{Θαρσεον}$ ,  $\text{Κολοσσεον}$ .

Θεσσαλονικη, Θαρσ, Κολοσσα, exortis. Nec est,  
 quod spiritus asper, quem nomen *Hyriens*  
 præfert, quemquam moretur; vtut enim in-  
 choata ab  $\aleph$  a Græcis fere per Spiritum le-  
 nem efferantur, quinimo spiritus in nonnul-  
 lis vocibus ab  $\eta$ ,  $\pi$  vel  $\upsilon$  incipientibus  
 emolliatur, non tamen sententiæ nos nostræ  
 hæcenus pœnitet, cum nec ratio, nec exem-  
 pla nos destituant. Vt enim  $\aleph$  &  $\eta$  pro ra-  
 tione litterarum quiescentium facile conuer-  
 tuntur, sic etiam plura exempla dari possunt,  
 in quibus spiritus obtinet. Ex  $\aleph$  fit Græ-  
 corum  $\upsilon$ σσωπ, Latinorum, *hyssopus*, ex  $\aleph$  per  
 litterarum metathesin  $\epsilon\rho\mu\eta\varsigma$ ,  $\epsilon\rho\mu\eta\upsilon\epsilon\upsilon\omega$ , &  
 $\epsilon\rho\mu\eta\upsilon\epsilon\iota\alpha$ , ex  $\pi$  adiecto sibilo  $\epsilon\psi\omega$ ,  $\epsilon\psi\acute{\alpha}\omega$ ,  
 $\epsilon\psi\epsilon\omega$ . Hoc ipsum etiam vsu inualuit in no-  
 minibus ab  $\aleph$  deriuandis; inde enim  $\aleph$ -  
 $\epsilon\sigma\iota\omega$ ,  $\epsilon\sigma\iota\mu\alpha$  &  $\epsilon\sigma\iota\mu\alpha\iota$  descendunt.  
 Nec aliter res sese habet in nominibus pro-  
 priis, vt enim taceamus  $\aleph$ βεραμ &  $\aleph$ βεραμ,  
 quæ  $\alpha\iota\beta\epsilon\rho\mu\eta\chi\epsilon\rho\tau\alpha$  exasperant, tamen silentio  
 præterire non possumus  $\aleph$ ψ $\aleph$  I. Par. I. 7.  
 $\aleph$ ψ $\aleph$  III. 8. &  $\aleph$ ψ $\aleph$  v. 34. pro quibus  
 Alexandrini  $\epsilon\lambda\iota\sigma\iota$ ,  $\epsilon\lambda\iota\sigma\iota\mu\alpha$  &  $\epsilon\lambda\iota\sigma\iota\beta\omega\upsilon$  le-  
 gunt. Ex quibus satis adparet, Abrahamum  
 pariter atque Isaacum non propriis suis, sed  
 potius gentilitiis nominibus hic venire & tra-  
 ditionem illam Abrahamum Vre Chaldæo-  
 rum orum in Græcorum fabulis diligenter  
 adseruatam fuisse. Nec, opinor, erit, qui  
 hanc nostram demonstrationem vitio quo-  
 dam

dam laborare existimet; quem enim fugit, peregrinos, suppresso fere nomine proprio, gentilitio a ciuibus suis adpellari, ad posteros aliquando deriuando. Cuius rei vt hodierno die plura exempla existunt, sic illius etiam in historia veteri vestigia comparent. *Abrahamus* inter Palæstinos, *Josephus* inter Aegyptios vitam agentes Gen. XIV. 13. XXXIX. 14. Ebraei sunt adpellati, Hagar a patria sua *Aegyptia* dicitur Gen. XVI. 1. 3. XXI. 9. *Cadmus* a regione, vnde erat profectus, nomen tulit; quia enim ex terra versus orientem sita oriundus a קדמ *oriens*, *Cadmus* a Græcis fuit insignitus. Traditio igitur de Abrahamo Vre oriundo, figmento de Hyrieo & Orione inter Græcos originem dedit. Q. E. D.

§. 5. Abrahamum & Isaacum sub nominibus Hyriei & Orionis latitare argumentis, quod præfiscini dixerim, claris ac dilucidis demonstrauimus. Institutum igitur nostrum prementes, speramus fore, vt beneficio veritatum, quas in superioribus euictas dedimus, tandem fabularum labyrintho nos extricemus. Hyrieus hic *Tanagram* Bœotiae ciuitatem coluisse dicitur, quæ, ni fallor, est ipsa *Haran*, quo relicta Vre Abrahamum cum parente Teracho concessisse constat Gen. XI. 31. Sententiæ summi *Bocharti* Chan. L. I. c. XVI. existimantis *Tanagræ* a חנן nomen ad hæsisse, abiecto ח & א cum א transposi-

posito, minus intercedam, illud in præsen-  
 tia sufficere probauisse Haranem cum Tana-  
 gra Bœotorum commutatam fuisse. Ex  
 תנא per litterarum metathesin & ת in γ  
 mutato, facile Ταναγρα enasci potest. ת enim  
 vt varias apud Græcos subit mutationes, ita  
 etiam speciatim haut raro in γ conuerti-  
 tur, quod Cl. *Auenarius*, (qui *Heideggero*, *Vi-  
 tringa* & *Bossio* iudicibus, non infeliciter, in  
 plurimis saltim, nec sine ingenii laude in hoc  
 doctrinarum genere versatus est) data occa-  
 sione, potissimum vero sub voce תנא disce-  
 ptauit, vnde Græca γαναιω, γανειω, γανεις,  
 γανυμι, γανυμι & γανθ deriuari posse, non in-  
 iuria existimat Lex. Ebr. f. 261. Επιμετρον Τα  
 instar litterarum seruilium, quales seminali-  
 bus ac radicalibus nonnullæ quandoque ac-  
 cedunt, adiectum videtur. Vt autem habi-  
 tatio Abrahami in Vre Chaldæorum ad Græ-  
 cos fama fuit transmissa: Sic facile fieri po-  
 tuit, etiam illam Charris ipsis innotuisse,  
 quam ignorantes urbem, cum Tanagra Bœo-  
 tiæ temere confuderunt. Idem in nomine  
 coniugis Abrahami contigisse arbitror, quæ  
 heic in fabula κολονια dicitur. *Cadmum* a  
 Græcis κολονιαν dictitatum fuisse ex migra-  
 tione in Græciam suscepta, obseruat vir do-  
 ctiss. *Andreas Borrichius* in de Roma c. I. vnde  
 simili ratione inferre possumus: Saram κολο-  
 νιαν in Græcorum fabulis adpellatam fuisse,  
 eo maxime quod se viro itineris, periculo-  
 rumque sociam adiunxit.

§. 6. Quæ vt liquida satis sunt & manifesta, sic nulli dubitamus; quin etiam in eis, quæ de hoc Hyrieo & Orione sub fabularum inuolucris memoriæ sunt mandata, Abrahami & Isaaci historiam simus deprehensuri. Dicitur Hyrieus hic fuisse  $\alpha\tau\epsilon\lambda\upsilon\sigma$ , quod ipsum etiam Moses de Abrahamo perhibet Gen. XV. 2. Vbi loci vocem Ebraeam  $\text{עֲרִירִי}$  per  $\alpha\tau\epsilon\lambda\upsilon\sigma$  Alexandrini optime reddunt. Quamquam enim ipso illo temporis articulo, quo tres illi viri Abrahamo adparuerunt, non amplius fuerit  $\alpha\tau\epsilon\lambda\upsilon\sigma$ , vt pote qui iamdum ex Hagare ancilla sobolem susceperat, non tamen iniuria improles haberi potest, quia Ismael iste ex consilio potius *carnis*, quam vi *promissionum diuinarum* sublatus erat conf. Gen. XVII. 19. seqq. Jo. I. 13. quare etiam hic hereditatem paternam cernere minus poterat. Huc iam cum deflexit disceptatio nostra, ab animo meo impetrare non possum, quin quædam de consilio Saræ, eo animo *ancillam suam Abrahamo dantis, vt ex illa edificaretur* Gen. XVI. 2.  $\omega\varsigma \epsilon\upsilon \pi\alpha\rho\delta\omega$  interspergam. Communis interpretum fert sententia, Saram eo consilio ancillam suam Abrahamo dedisse in uxorem, vt prolem ex illa susceptam adoptaret. Sed vero est, quod in hac re notemus, matres familias solitas esse dare maritis suis ancillas, vt grauidæ in sinu suo partum ederent, quod patet exemplo Rachelis Gen.

Gen. XXX. 3. coll. L. 23. quæ sine dubio  
 exemplum Saræ imitata, cum se sterilem de-  
 prehendit, idem est adgressa. Quæ con-  
 suetudo paullo curatius est consideranda.  
 Adcommode in rem nostram *Abaybanel* h. in  
 l. commentatur. הבן אשר תלד חגה על  
 ברמי אני אנדלחו ויהיה לי לבן ליורש ואולי  
 הגדול יהיה לי נאמן כאלו יצא ממעי וזה  
*Filium quem Hagar*  
*super genua mea pariet, ego educabo* & erit mi-  
*bi in heredem filium* & fortasse propter educatio-  
*nem fidelem se mihi prestabit ac si ex visceribus*  
*meis exierit* & hæc est significatio verborum, cete-  
 ra. Ex quibus adparet ius attribuendi sibi  
 filium, Saræ accreuisse per educationem, nam  
 quando Hagar Abrahamo data in vxorem,  
 quid causæ, quod omni suo iure ilico cesse-  
 rit? Præsertim quod minus scorti instar pu-  
 dicitiam suam Domino exposuerat. Dum  
 ancilla enixa est prolem in genibus dominæ,  
 significatum est, dominam venire in socie-  
 tatem prolis, non equidem proxime siue imme-  
 diate, id enim factum, si infans recens edi-  
 tus in gremium dominæ fuisset repositus,  
 sed remote & mediate, quatenus sc. interue-  
 niente ancilla infantem contingebat. Cum  
 igitur ius haberet in ancillam, potestas quo-  
 que ipsi in illius foetum competebat, quod  
 tamen ius magis atque magis adcreuit, quan-  
 do infantem ancillæ ex suis opibus atque  
 sub-

substantia enutrivit & aluit. Quæ explicatio ab antiquorum ritu minus abhorret, quibus etiam illæ matres sunt dictæ, quæ aliquem enutriuerunt, ac plurimis beneficiis cumulauerunt. Ita *Lycophon* de *Hercule Jouis ex Alcmena* filio:

ο ΔΕΥΤΕΡΑΝ ΤΕΥΚΟΥΣΑΝ ατρώτον Βαρε  
τυψας ατρεκτω σερνον Alex. v. 39. 40.

Cuius rei hanc dat rationem *Tzetzes*: δευτερην τεκουσαν την Ηραν λεγει, η οτι αυτον δια τε ΚΟΛΠΟΥ ηνεγκεν, ως πικτωσιν και τεκνοποιουμενη, και οτε αυτον εζηλασε πειοθεισα τη Αθηναι: *Juonem alteram genitricem adpellat, siue quod ipsum (Herculem) in sinu suo gestavit, tamquam mater, quæ ipsum procreauerit, quemque suasu Minerva lactauerit.*

§. 7. Sed vt e diuerticulo in viam redeamus, ferunt *Hyrieum* fuisse φιλοξενωτικην maxime hospitalem. Hospitalitatis virtus apud cultiores gentes maximo in pretio habebatur, adeo vt, quem in amicitiam ac hospitii consuetudinem receperant, violare omnino nefas haberetur, crimen nonnisi grauissimo supplicio eluendum. Inde *Alexandra Alexandrum*, qui *Helenam Menelai* coniugem, a quo hospitio benigne erat exceptus, perfide eripuerat, increpat:

Ετλης θεων αλοιτθ εκβησαι δικην,  
λαζας τεραπειζαν, κ' ανακνυωσας θεμιν.

Ausus es, scelus, Deorum ius transgredi,  
Calce impetens mensam & euertens iustitiam.

Lycophron. v. 136. 137.

Per *τραπεζαν* heic intelligit hospitalitatis exercitium, quia conuiuium lautius adparato hospites reficiebantur ac amicitiae foedus sanciebatur. Quod qui violare sustinebat, in Deorum iram incurrere existimabatur. Turpe quoque habebatur, quempiam criminibus licet grauissimis obnoxium laedere, vel damno aliquo adficere, sed probi atque honesti hospitis erat, illum, quem in domum suam receperat, impune dimittere, nec violentas in illum manus immittere. Initium autem conuiuii *sale* fiebat, quod hospites praegustare ac sale quasi amicitiae foedus confirmare debebant; quae ratio, quare *Lycophron* illum *αγνιτην παραν purum salem* adpellet, aliis *Ιερ@* dicitatus. *Causas* huius rei indicat *Tzetzes*:

*αλλα επιτηθεν οι παλαιοι εν ταις των ξενιων καταρχαις, συμβολικως επευχομενοι, ωσπερ αλς εκ δυο φυσων της υδατωδης και γηρας εις μιαν φυσιν επαγη την τε αλ@, ετω παρηναι και τετρε εις μιαν ομοιοιαν. Veteres adponebant salem in hospitalium conuiuiorum primordiis latente quodam sensu optantes, quemadmodum sal duarum naturarum aqueae sc. & terrestris in vnam substantiam compingitur, ita etiam illos (hospites) in consensionem mutuam ac concordiam mitti. Aliam ex Eusthatio adfert Potterus: επιξενυμενοις της αλας παρετιθεντο πρε των αλων βρωματων, η αλ@ το της Φιλιας νοσημον και*

ὡδραμονον, ὡδραμονης γαρ αιηⲟ πῶλοις των  
 σωματων η̅η̅ ο αλς η̅η̅ εις συμβολον της κατης  
 Φιλιαν ενωστως. ως γαρ αλς εξ υδατων πῶλων ρυ-  
 των η̅η̅ χυτων παγεις εν πι σερρον γεγνε σωμα,  
 κτω η̅η̅ οι συνελθοντες εις ξενιαν εκ διεστων εις  
 εν τω τε ποπω η̅η̅ τη Φιλικη Διφθεση συνηχθησαν.  
*Hospitibus ante alios cibos salem proponebant, ut  
 significaretur vel dulcedo & constantia amicitia,*  
*sal enim multa corpora a putredine conser-*  
*uat, vel ut esset symbolum coniunctionis mutae,*  
*quæ per amicitiam conciliatur. Ut enim sal ex*  
*mūltis aquæ particulis fluxis & liquidis in corpus*  
*quoddam solidum compingitur, ita & illi, qui in*  
*hospitii consuetudinem ex locis dissitis conueniunt,*  
*uno loco pariter & beneuola animo coniunguntur.*  
*Quæ consuetudo amicitia conciliandæ pro-*  
*cul dubio originem dedit monito Pythagoræ:*  
 αρτον μη καταγνυειν πανεμ ne frangito, item  
 prouerbio illi: αλα η̅η̅ τραπεζω μη ὡδραβαι-  
 νειν salem & mensam ne prætereas. Hujus au-  
 tem, quam iam descripsimus, virtutis Abra-  
 hamus fuit perquam studiosissimus, eo enim  
 verba scriptoris sacri aurigantur Ebr. XIII.  
 2. της φιλοξενιας μη υπιλανθανεθε Διφ ταυτης  
 γαρ ελαθον πνεσ ξενισαντες αγγελεσ, quæ eundem  
 fere, quem *Palephati*, de Hyrieo fundunt  
 sensum: Φιλοξενωτατⲟ δε υπεδεξατο ποτε τϩσ  
 Θεσ. Hanc autem Deorum receptionem ex  
 historia angelorum Abrahamo adparentium  
 effictam, excogitatamque esse, minus dubii  
 mihi relinquitur, cum *Tzetzes* enarret, Hy-  
*ricum*

riem Deos hospitio excipientem bouem ma-  
 ctauisse: *ος βεν θυς αυτες υπεδεξατο* ad Ly-  
 cophr. Alex. v. 328. Quippe enim sacer-  
 scriptor memoriae prodidit, Abrahamum, an-  
 gelis illis in domum suam receptis ad bouile  
 festinasse, indeque epulis futuris destinatum  
 vitulum petiisse; rem his verbis expresse-  
 runt *Alexandrini: εις τας βοας εδραμεν Αβρα-  
 αμ ηγη ελαβεν απαλον μοχαειον ηγη καλον ηγη  
 εδωκε τω παιδι ηγη εταχυνε τε ποιησαι αυτο* Gen.  
 XVIII. 7.

§. 8. Cum angelorum, qui Abrahamo  
 comparuerunt, indicto Paullino iam excita-  
 to mentio fiat, non alienum erit ab institu-  
 to nostro, quaedam de iisdem attexere, quo  
 ad id, quo nostra vergit disceptatio, sensim  
 ac sine sensu accedamus. *Angelorum* notitia  
 profanas gentes destitutas non fuisse, cla-  
 rissime admodum demonstrari potest, quam  
 siue a parentibus ex patriarcharum familiis  
 egredientibus continua traditione accepe-  
 runt, siue etiam ex naturæ effectuum pru-  
 denti *νοησει* hauserunt. De Philosophis sal-  
 tim qui *Pythagoræ & Platonis* vestigia legunt,  
 eorundemque dogmata sectantur, dubium  
 nullum relinquitur. Hi quippe vniuersum  
 genus rerum rationalium ad tres classes refe-  
 runt, quarum primam *Dii immortales*, secun-  
 dam *spiritus inter Deos & homines medii*, quos  
*δαιμονας* adpellant, tertiam denique *homines*  
*mortales & terrestres* constituunt. Et quod

mirandum maxime, illo ipso nomine, quo in diuinis litteris veniunt, insigniuntur. Haut raro nomen των αγγελων ipsis adhæret, cuius denominationis rationem hanc dat Hierocles: ως εκφαινοντας καὶ διαγγελλοντας ημιν τας παρ εὐζωϊαν κανοντας, utpote qui nobis demonstrarent atque adiuantient regulas, quæ nos ad beatitudinem deducunt in aur. carm. Pyth. p. 36. Quo munere qui ex purioribus spiritibus funguntur, ad γενος αγγελικον p. 32. & ταξιν αγγελων p. 180. referuntur. Præterea, quod iam supra dicere capimus, δαιμονες audiebant, quamquam vox illa aliquanto latius pateat & pro ipsis Diis immortalibus & hominibus, qui virtutibus se suis ac sapientia communi hominum forte eximunt, accipiatur, sic dicti ως οντες δαιμονες καὶ επισημοι των θεων νομων quibus diuine leges probe sunt perspectæ p. 36. 38. Vtraque sane denominatio & naturam & officium eleganter explicat. Sunt etenim angeli, finitore apostolo, λειτουργικα πνευματα, eis διακονιαν ποσειδωμενοι δια τας μελλοντας κληρονομειν σωτηριαν Ebr. I. 14. quibus ex parte consentanea fere habet Hesiodus de primo hominum genere ad beatas sedes translatorum, quod tamen etiam non iniuria de angelis accipi potest:

Τοι μεν δαιμονες εισι Διου μεγαλης Δις βουλας  
 Εσθλοι, επιχθονιοι, φυλακες θνητων ανθρωπων.

Ⲑⲟⲓ ⲉⲉ Φυλασσειν τε δικας και χελια  
εεζα

Ⲏεεε εσομενοι, παντη Φοιτωντες επ' αιαν  
Πλατοδοται ορ. & dierv. 121-125.

*Hi equidem daemones sunt per voluntatem Dei  
magni,*

*Boni, in terris versantur & sunt mortalium ho-  
minum custodes.*

*Qui sane obseruant iusta aeque ac peruersa  
opera,*

*Aere amicti, terram passim frequentantes,  
Diuitiarum largitores.*

Ab his, qui in domino moriuntur, depositis  
corporis huius exuuiis, dicuntur απνεχθιναι  
ⲙⲓⲥ ⲧⲟⲛ ⲛⲉⲗⲡⲟⲛ ⲧⲉ ⲁⲃⲉⲣⲁⲙ Luc. XVI. 22. Quod  
ipsum etiam officii genus caelestibus hisce ge-  
niis adsignat Hierocles, cuius verba maxime  
sunt notatu digna: αιροντες ημας και κεφιζον-  
τες πρὸς την θειαν πολιτειαν ἵπτο της εν γη διατρε-  
ψης a terrestri hac conuersatione ad diuinam nos  
eleuant atque deportant l. c. p. 36. Ratione diui-  
nae originis suae ⲟⲩⲛⲉⲗⲁ ⲛⲓⲧⲓⲧⲟ exornan-  
tur Job. XXXVIII. 7. qua de causa etiam  
iplos θεων παιδας Philosophus adpellat.

§ 9. Hæc licet pro instituti nostri ratio-  
ne satis esse possint, alienum tamen non  
erit, si & ea, quæ Philosophus de origine &  
intima natura horum spirituum tradit, dili-  
gentius euoluamus, quo simul certitudo illo-  
rum, quæ diuinæ litteræ de iisdem docent,  
elucescat. Angelos aliquando originem ha-

buisse, nemo, qui de auctoritate scripturæ est persuasus, facile negabit, quamquam quo tempore, vel potius die creationis sint producti, non idem omnes sentiant. Ita Hierocles illorum ortum explicat: ἄνω εχόντες (αγγελοὶ καὶ δαίμονες) πρὸς τὸ πρῶτον γένος (θεῶν) ὡς αὐτῶν πρὸς πυρῶν, καὶ ὡς παῖς πρὸς πατέρα. ὅθεν καὶ θεῶν παῖδες εὐθὺς ἐπευφημῶνται, καὶ ἐν θρησκείᾳ συνῆσθαι αὐτοὶ γινόμενοι, ἀλλ' ἐν τῆς μονοθεῖας αὐτῶν αἰτίας πρὸς ἴοντες, εἶον φῶς τῆς ἁπλοῦς τῆς φωτὸς σώματός συνδρομῶν. *Ita se habent.* (angeli vel dæmones, vel heroës, quæ denominationes Philosopho sunt ἰσοδυναμοὶ) ad primum genus (Deorum) ut splendor ad ignem & filius ad patrem. Quam ob causam etiam Deorum liberi adpellantur, non equidem, quod ex mortali sint procreati connubio sed, ex uniformi ipsorum causa prodeant, æque ac lux naturam lucidi corporis consequitur p. 36. Equidem diuersos productionis modos auctor hic coniungit, qui angelorum creationi non omnino quadrant. Produci ab aliquo instar splendoris ab igne procedentis, nihil aliud sanedicit, quam ita ab eodem produci, ut tamen effectus intra naturam producentis permaneat, ab eodemque minus diuelli possit. Sed tamen Philosophus mysteriis Pythagoricis initiatus, qui creationem per emanationem explicabant, aliter fere loqui non poterat. Illud autem licet inde efficere, non semper existitisse angelos, sed in tem-

pore cœpisse. Quod illorum naturam spectat, in continua Dei, sui ipsorum aliorumque cognitione, quam summa ac ineffabilis voluptas iugiter sequitur, consistit Matth. XVIII. 10. Ipsum illud Hierocles non obscure innuit: εν γαρ τω μεσως ηνωθαι προς τον Θεον ηδη τροπην ακακυντον επιδεχομενοι, αλλο τε αλλαις επιβολαις περι αυτον χορευσαι ηδη την αμεταβλητον ηδη ηνωμενην θεωριαν των πρωτων τη εσουλων πεπληθυσμενη γνωσει Διαιρεσι τε αμα ηδη συναγχει, τα περι τα της εκεινων εποπτειας αρχας της εαυτων ποιημενοι μνησεως. Eo ipso enim, quod *medii cum Deo uniuntur, conversationem malo non obnoxiam recipientes, aliis alias circa ipsum choros agitant, immutabilemque atque unitiam primorum entium contemplationem, sui ipsorum plena & cumulata cognitione diuidunt simul & coniungunt, quæ ultima sunt illorum inspectionis, suæ ipsorum initiationis primordia facientes.*

§. 10. Sed enim quæ hæctenus disceptauimus, angelos tantum bonos spectant, quoniam autem præter illos scriptura *malorum* mentionem iniicit, qui non seruata *αρχη* primigenia sorte ac conditione, qua ex manibus optimi numinis exiuerunt, *δεσμοις αιδίοις υπο ζοφον τετηρηται* Jud. v. 6. queis Deus pro rationibus iustitiæ suæ immorigerorum ac impœnitentium puniendorum curam commisit, ne illos quidem gentiles ignorasse videntur. Sic *Sallustius* rationem poenæ, qua hominum animæ corporibus excedentes aliquando ad-

ficiendæ expositurus. *καλαζονται* inquit sc.  
 (ψυχαι) *σωματος εξελθουσαι αι μεν ενταυθα πλω-  
 νουμεναι, αι δε εις πνας τοπας της γης θερμης η ψυ-  
 χης αι δε υπο Δαιμονων ταρασσομεναι, puniuntur;*  
 (animæ) *corporibus excedentes, alie quidem  
 hinc inde oberrando, alie autem in loca quedam  
 calida siue frigida demigrando, alie a demonibus  
 exagitanda* de Diis & mundo c. XIX. Anima  
 enim huc illuc vagari, nec prius ad quietem  
 suam redire existimabatur quam corpus terræ  
 mandatum esset; hinc mors naufragorum  
 adeo tremenda, cum non essent qui cadaver  
 sepelirent. Ex his autem animaduertere li-  
 cet, non vsque quaque certum esse, quod  
 quibusdam arridet, nomina profanorum Deo-  
 rum a primis Christianismi doctoribus inde-  
 decus & opprobrium abdicati gentilismi pes-  
 simis geniis attributa fuisse. Nolim equi-  
 dem diffiteri voce *δαιμων* & *δαιμονιον* maius  
 quoddam numen indigitari, quin imo, cum το  
*δαιμονιον* ητοι το θειον dicerent, Deum supre-  
 mum, diuinitatemque mundi moderatricem in-  
 telligere, quod *Meursius* ad *Lycophr.* p. m.  
 104. demonstrauit. Tamen certum est  
 etiam, medium quoddam genus inter homi-  
 nes, quin imo malos genios hac ipsa notione  
 significauisse. In rem nostram faciunt ver-  
 ba magni *Salmasii*: *αλαστωρ* Græcis est *δαιμων*  
*hominum improborum ac sceleratorum male facta  
 animaduertenda suscipiens, atque huc illuc circum-  
 cursans ad homines facinorosos ητοι αλαστωρ* exa-  
 gi-

gitandos & persequendos. Cuius idem plane officium est, quod *Εεαυυυυυ*. Not. ad Consecr. templi in agro Herodis p. m. 118. ed. *Cremant.*

§. 11. Hæc de angelis tum bonis, tum malis dixisse sufficiant, oportet ad rem ipsam accedamus. Tres Deos ad Hyrieum accessisse, ab eodemque benigne exceptos fuisse, superius me dicere memini, queis procul dubio ad adparitionem trium illorum sic dictorum virorum, Abrahamo factam, digitus intenditur, vid. Gen. XVIII. Quod si enim antiquorum sententiam, qui tres illos viros tres diuinas personas fuisse indicarunt, amplectimur, res facile euinci potest, tres personas in totidem Deos a Græculis conuersas fuisse. Sed vero cum & integra historiæ huius adparitionis *συμφεω* & diuinarum personarum œconomia reclamet, aliam viam inire necesse est, ne Judæis atque Socinianis infensissimis sacræ trinitatis hostibus cauillandi ansam præbeamus. Illud liquet, vnum ex his fuisse verum & æternum Deum, filium Dei *αυτοθεον*, duobus angelis comitatum, qui, quoniam externam hominis formam præ se ferebant *ד'שני* Gen. XVIII. 2. *αγγελου* Ebr. XIII. 2. Nec scio, num ratio satis solida constet Cl. *Heideggero* Hist. Patr. Tom. II. Exerc. VIII. §. 3. 4. p. m. 250. 251. existimanti, in dicto Paullino non tam ad Abrahamum, quam ad Lothum angelos duos re-

eipientem, respici; namque hospitalitas,  
 quam Abrahamus erga hos tres viros exhibuit,  
 longe illustrior est, quam illa Lothi.  
 Verum est, in tota adparitione Abrahamo  
 facta angelorum mentionem neutiquam  
 fieri, nec propterea dignitatis quidquam fi-  
 lio Dei decedit. Ipse enim maximus patris  
 legatus facile in ordinem atque numerum  
 angelorum, quorum principem ac supre-  
 mum dominum agit, redigi potest. Conf.  
 Exod. XIX. 3. 20. Deut. XXXIII. 2. Act.  
 VII. 32. 53. Gal. III. 12. 19. Ebr. II. 2. Quip-  
 pe enim vnus horum nomine Dei proprio  
 יהוה octies insignitur Gen. XVIII. 13. 14. 17.  
 20. 22. 26. 33. XIX. 27. quod certe nulli  
 rerum creatarum adscribitur, septies תְּשֵׁבַע  
 אֱלֹהִים Gen. XVIII: 3. 27. 30. 31. 32. XIX. 18.  
 quod vbicumque vocali signatur, verum  
 Deum notat, quo Characterismo a duobus  
 angelis, ad Lothum postea diuertentibus, di-  
 stinguitur, אֱלֹהִים nuncupati Gen. XIX. 2.  
 Adhæc adscribitur illi omnipotentia, virtus  
 soli Deo competens Gen. XVIII. 14. coll.  
 Luc. I. 37. Præterea ipse iudex totius terræ  
 ob infanda Sodomæorum vicinorumque cri-  
 mina, aduersus illos iudicium exerciturum  
 esse minatur v. 20. seqq. Sed vero pater  
 omne iudicium filio commisit Jo. V. 22. Act.  
 XVII. 31. Vt taceamus diuinos honores,  
 quos angelus creatus recusasset. Quæ si ad  
 præsens negotium adcommoventur, Jupiter  
 in

in historia fabulosa Hyriei erit ipse Dei filius. Habebatur enim Jupiter supremus Deus, diuorum rex, hominumque pater. Nomina, *Jouis* & *Jehoua* eiusdem sunt originis, illudque ab hoc sine dubio est mutuum; antiquitus autem *Jouis* etiam in casu primo dicebatur. Illustris Abrincensium episcopus dem. Euangel. Prop. IV. c. X. f. 142. Edit. Paris. 1690. ex *Augustino* docet persuasum fuisse ethnicis in vno *Joue* latere omnes Deos. In cuius rei testimonium ex *Varrone* profert hos versus *Valerii Sorani*:

*Juppiter omnipotens, regum rex ipse, Deum-  
que*

*Progenitor, genitrixque Deum, Deus vnus &  
omnes.*

Huic adiunguntur *Neptunus* & *Mercurius*. *Tzetzes* loco *Mercurii* *Apollinem* nominat, sed vero cum ille in plurimis turpiter erret, potius *Euphorionis* & *Palaphati* traditionem sequimur. Licet autem *Neptunus* & *Mercurius* inter Deos Consentes referantur, commode tamen præprimis *Mercurius*, angeli personam sustinere possunt; ipse enim Deorum nuntius, ac interpres habebatur, qui animas demortuorum hominum ad inferos virga deducere, indeque reducere existimabatur. Sic illius officium *Venusinus* vates describit:

*Te canam magni Jouis & Deorum  
Nuntium.*

Nec ita multo post :

*Tu pias letis animas reponis  
Sedibus, virgaque leuem coërces  
Aurea turbam, superis Deorum  
Gratus & imis.*

Hæc autem ipsa illa sunt angelorum munia, quæ ex mente Philosophorum gentilium §. 8. docuimus. Facile etiam fieri potuit, angelorum denominationem, qua in sacris אלהים titulo exornantur Ps. VIII. 6. Ebr. II. 7. Ps. XCVII. 7. Ebr. I. 6. gentilibus innotuisse.

§. 12. Hi igitur ab Hyrieo liberaliter excepti, benignitatem ipsius remuneraturi, optionem dant petendi, quidquid vellet. Improles autem filium petiit. Equidem ne verbum quidem de optione istiusmodi Abrahamo concessa legitur, sed vt in fictionibus poëtarum fieri adsolet, plurimæ fundamento adsuuntur. Saltim ad historiam Mosaicam est expressa, quippe enim angeli hospites post epulas discessuri, de nouo Abrahamo spem certam faciunt, fore, vt intra anni circulum proles mascula ipsi procreetur Gen. XVIII. 9. 10. Quod ipsum & iam fabularum architecti testantur, Orionem post decem mensium decursum productum fuisse. Quem autem productionis modum fingunt mendaces Græculi, operæ pretium non est, vt ad examen

accuratum exigamus, excogitatum, vt aliquam saltim nominis peregrini, sibi que ignoti rationem ex lingua sua adferrent. Si non vel hoc ipso miraculosam Isaaci ex Abrahamo sene & Sara vetula natiuitatem fabularum nube inuoluere voluerunt: *πισει αυη Σαρρα δυναμιν εις καταβολην σπερματ & ελαβε, και ωσαυκα καιρον ηλικιας ετεκεν, επει πισαν ηγησατο τον επαγγελαιμενον* Ebr. XI. 11.

Huc iam cum processit disceptatio nostra, possemus pedem figere, nisi adhuc quaedam meditati iucunda de fato Orionis, considerata superessent. Palæphatus obseruat Orionem hunc cum in venatione esset vna cum Diana, vim illi tentaturus, vt illatam iniuriam vlisceretur, a dea, producto ex terra scorpione, talo percusso, interfectum fuisse. *Οργισθησεν η θεη, verba sunt Palæphati, αιεδαωκεν εκ της γης σκορπιον, ος αυτον πληξασ κατα τον αστραγαλον απεκτεινε.* Missis tricis, quas fabula attexuit, arbitror, sacrificium Isaaci, cui a parente Abrahamo diuino iussu destinatus erat, subobscurè indigitari; ita tamen vt simul ad *πρωτευαγγελιον* de morfu calcanei Sospitatoris olim præsignificati respiciatur. Per scorpionem heic non iniuria serpentem ipsum intelligere possumus, eo maxime, quod vel is ipse ob aliquam formæ similitudinem inter serpentes referatur. Non contemnenda *αποσπασματα* lapsus primorum parentum nostrorum in gentilium sacris re-  
man-

mansisse, & speciatim memoriam seductionis Heuæ a serpente dæmone susceptæ in Bacchicis Orgiis renouatum fuisse Cl. Gurtlerus Orig. mundi L. 1. Cap. XVI. §. 50-58. p. 188. 190. euicit. Vnde, quæ mira Satanæ astutia, vt diuinam promissionem de contendo capite serpentis irritam redderet ac ipso opere aboleret, res eo est deducta, vt serpentum cultus in detestandis profanarum gentium sacris passim inualesceret, quod ex Aegyptiorum, Græcorumque, Romanorum, aliorumque populorum barbarorum historia Vir Cl. *Philippus Olearius* peculiari dissertatione de οφιολατρεία erudite demonstrauit. Sed vt ne a symboli hinc discedamus, extra oleas non vagabimur, si vel vnum atque alterum testimonium adduxerimus, quo illud, quod diximus, euidenter illustrari potest. Obseruat Erudit. *Potterus* ad Lycophr. f. 167. 168. in Aegyptiorum Hieroglyphicis, mulierem viro insidias struentem per serpentem designari. Quam in rem profert verba *Hori Hieroglyph. L. II. γυναικα*, inquit, *μισαν τον ιδιον ανδρα και επιβλευσαν αυτης θανατον, μονον δε αυτη μιξιν κηλακυσαν αυτον βελομενοι σημησαι, εχιν ζωραφειν. αυτη γαρ οταν στυγνηται τω αρρενι σωμα σωματι εμβαιδη, και μετα το αποζευχθηναι, αποδακυσσιν την κεφαλην τω αρρενι εναντι.* *Mulierem odio prosequentem virum suum, eiusdemque vite insidiantem, nec eidem blandientem, nisi cum coniugii consuetudinem*

ambit, significare volentes, viperam pingunt. Ipsa enim cum mascula congressura, os ipsius ori immit-  
 tit, post conjunctionem vero caput eius admordet.  
 Quamquam enim ratio huius similitudinis ex naturæ conformatione petatur, tamen prima mulier fraudibus dæmonis decepta vitæ conjugis sui insidias struens emblemati huic originem dedisse videtur. Artemidorus Oneirocrit. L. II. notat. οφίς εχθραν επιγει, πως δ' αν Διδου πνα, στως ηω ο εχθρο του ιδοντα Διδουσει. Serpens (in somno visus) inimicitias conciliat, quomodocumque igitur aliquem in somno diuexauerit, eodem modo, ille qui vidit, ab hoste infestabitur. Fundamentum huius rei quærendum in internecino odio, quod ipso Deo iudice ac præcone in ipso paradiso fuit conciliatum. Sed vero quorsum hæc a nobis disceptantur? non alio certe fine, nisi vt euoluendæ fabulæ de fato Orionis fundamentum præstruamus: Constat Abrahamum iussu diuino filium Isaacum aræ destinasse, quod ipsam certissime effectum dedisset, nisi vox cælitus audita animum, manusque patris cohibuisset Gen. XXII. Licet autem sacrificium hocce ipso actu peractum non sit, tamen eodem tum ex consilio Dei, tum ex patris destinatione mors sospitatoris Christi fraudibus serpentis seductoris olim acceleranda, fuit effigiata Ebr. XI. 17-19. Jure igitur dici potuit Isaacus talo a serpente percussus, quia figuram illius gessit, cuius calx aliquan-  
 do

do a diabolo conterendus erat Gen. III. 15. Quod ubi fama ad gentes dimanauit, fabulam de Orione talo a scorpione percusso peperit.

§. 14. Quod denique subiicit Palæphatus Orionem post fatum a Joue inter sidera relatum fuisse, nullo modo tacitus præterire possum. Plures admodum hac fortuna donatos esse fabularum magistri perhibent. Sed vero vnde hæc de Isaaco fingendi occasio sit subnata, diligentius est inquirendum. *Primo* equidem constat *Platoniorum* hanc fuisse sententiam, animarum aërem omnino esse plenum, vnde postea in corpus detrudantur, a cuius commercio liberatæ per mortem, ad spatium illud ætherium reuertantur. Quarum aliquæ, quo magis Diis adsimilarentur, eo propius ad stellas accederent. Quinimo illas, quas in Deorum numerum referebant, ipsis stellis præponi arbitrabantur; hinc *Horatianum* illud:

*micat inter omnes  
Julium sidus, velut inter ignes  
Luna minores.*

Eodem spectant verba *Virgilii* Ecl. IX. 47. 48.

*Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum  
Astrum, quo segetes gauderent frugibus.*

Quippe enim C. Julius Cæsar a nefario coniuratorum globo interfectus & auctoritate Augusti & communi populi consensione

Deo.

Deorum numero fuit adscriptus; quo facto per aliquot dies astrum adparuit, quod Cæsaris anima habebatur. Ad quam rem illustrandam cum egregie faciant verba Suetonii, non pigebit ea heic adscribere. *Ludis, quos primo consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam. Creditumque est animam esse Cæsaris in cœlum recepti; & hac de causa simulacro eius in vertice additur stella.* In Cæs. cap. LXXXVIII. *Αποθεωσει* & autem rationes potissimæ hæ antiquitus fuerunt, virtutes ac merita, quibus se quis vulgo eximebat, insignia beneficia, queis commune hominum genus sibi obstrictum, deuictumque reddebat. Cum autem Isaacus sua in Deum pietate, aliisque virtutibus, quibus sui æui homines longissimo interuallo post se relinquebat, maxime inclutus, quid mirum harum rerum traditionem occasionem *αποθεωσει* Orionis præbuisse. *Secundo* eruditiss. Needhamus obseruat, hanc fuisse *Pythagoræ, Cabbalistarum & Aegyptiorum* sententiam, *astris singulis singulas insitas esse animas, æuum agentes in immenso isto spatio, vtentesque* *αὔλοις καὶ καθαροῖς καὶ ἀσπροειδεσὶν ὀργανοῖς καὶ συμπειπλησαι μετὰ τῶν θεῶν καὶ συνδοικῆσαι πᾶν ὄλον κόσμον.* Postea autem corporibus uinctæ, peccatorum labi, concupiscentiis & animalibus adfectionibus obnoxias esse factas, a quibus per cognitionis studium, virtutum exerci-

Class. VI. Fasc. I. F tium

tium ac denique morte corporis exsoluerentur, adque astrum, sedem sibi propriam postliminio redirent. De illarum descensu pariter atque adscensu Hierocles ex Platonis sententia ita differit, *οταν αδυνατησασα επισπεσθαι μηιδη, και πνι συντυχα χρησαμενη πλερορησει τε και επι την γην πεση, τοτε νομει αυτην εις ζωνον θνητον εισικιζεσθαι.* Περὶ δὲ τῆς ἀνοδῆ ταῦτα, οἱ τὸν οὐλὸν περισφύττει ὑπερον ἐκ γῆς, καὶ ὕδατος, καὶ ἀέρος, καὶ πυρρός, θορυβώδη καὶ ἀλαλῶν ὄντα, λόγω κερκίτησας ὁ ἀνθρώπος, εἰς τὸ ἴης πρῶτερος καὶ ἀερίης ἀφικνεῖται εἰς ἐξέσθαι, οἱ καὶ εἰς ξυνομον ἀστρον ἀγεται ὑγίης καὶ ολοκληρονομένη. *Cum vero adsequendi impotens (animus) Deum minime videat & infortunio aliquo pennarum defluuium passa in terram decidat, tum lex ipsum iubet in mortale animal induci. De adscensu autem ista; hominem, cum labem postea contractam ex terra, aqua, aëre, & igne, turbulentam & rationis expertem rationis imperio depulerit & superauerit, ad prioris atque optimi habitus & status formam peruenire: Præterea ad astrum, quocum aptus fuerit, sanum atque integrum factum reuertit.* p. 186. 188. Quod ipsum etiam expressisse videtur *Virgilius Georg. IV. V. 225.*

*resoluta referri*

*Omnia, nec morti esse locum, sed viua volare  
Sideris in numerum, atque alto succedere  
cælo,*

*Quæ*

Quæ si ad præsens negotium adplice-  
 mus, sanctitatis illibatæ studium, quod Deus  
 ab Isaaco vi foederis cum ipso initi iure quo-  
 dam suo exposcit, ac spes melioris vitæ in  
 beatis cœli sedibus degendæ olim, commi-  
 niscendæ  $\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha\alpha$  Orionis ansam præbuis-  
 se, non iniuria existimari potest. Denique  
 male intellectam, saltim corruptam patrum  
 traditionem fictioni locum fecisse coniiicio.  
 Deus etenim Abrahamo de innumerabili se-  
 minis sui multiplicatione fidem certam fa-  
 cturus, ipsum in apertum eduxit campum,  
 iubens  $\text{הבט נא השמימה וספור הכוכבים}$   
 $\text{אם תוכל לספור ויאמר לו כה יהיה זרעך}$   
*tuere nunc cœlum & numera stellas, num possis nu-  
 merare? & dixit, sic erit semen tuum Gen. XV.*  
*5. Quæ caussa, quare Abrahami progenies*  
*sub stellarum emblemate in sacris passim effi-  
 gietur Gen. XXII. 17. XXXVII. 9. 10. Dan.*  
*VIII. 10. Cum autem semen promissum*  
*omne per Isaacum ex Abrahamo profapiam*  
*suam ducat, a probabili ratione minus ablu-  
 dit, figmentum illud de Orione inter sidera*  
*relato inde fictum, excogitatumque fuisse.*  
*Adhæc particula כה non solum adsimilandi,*  
*verum etiam demonstrandi vim atque potesta-*  
*tem nonnunquam obtinet Gen. XXXI. 37.*  
*Vt verborum sensus sit, hic, i. e. in cœlo erit se-*  
*men tuum, qua ratione promissio melioris vi-*  
*tæ in cœlis olim degendæ tacite inuolueretur.*

Quod ipsum haut obscure innuit, R. Salomo  
 Ifacides הוציא מחללו של עולם והגביהו  
 ם הכוכבים למעלה מן הכוכבים *educturus est illum* (Abra-  
 hamum, eiusdemque semen) *ex hac rerum*  
*terrestrium turba & super astra*  
*euecturus.*



IV.

*Samuelis BATTIERII*, (a)

Med. Doct. & Linguae Graecae in  
 Academia BASILEENSI  
 Professoris

Observationes Sacrae

in loca quaedam N. T.

ARGUMENTUM.

Locus Marc. IV. 29. Vox ὑπαδιδοναι, tradere ali-  
 quem alicujus arbitrio. §. 1. Marc. X. 50.  
 Αποβαλλειν. βαλειν & λαβειν saepe permutatur,  
 Homerus illustratur, & Euripides §. 2. Luc. XIV:  
 31. §. 3. Νευειν, ἔκνευειν. Theocritus emen-  
 datur §. 4. Act. VII: 5. §. 5. Act. XVI: 18.  
 Απ' αὐτης sicut Ἐξ αὐτης, est confestum, cito,  
 §. 6. Act. XX: 32. §. 7. Act. XXVIII: 15. Pa-  
 tres

(a) Vide Cl. II. Fasc. II. p. 335.

tres Judæorum §. 8. Rom. I: 13. Εχειν pro da-  
 re, vel exhibere §. 9. Rom. II: 5. §. 10. I. Cor.  
 II: 16. 'Os pro πs. Plato corrigitur. §. 11.  
 2. Cor. XV: 8. §. 12. I. Cor. XV: 29. Baptis-  
 mus pro mortuis. §. 13. I. Cor. XV: 49. §. 14.  
 I. Cor. XVI: 9. Aures sunt hominis ostium §. 15.  
 Gal. IV: 10. §. 16. Phil. II. 6. Vox ἀρπαζειν  
 ἀρπαγμα, Ευρημα, ερμαιον, ήγησασθαι ἀρπαγμα,  
 §. 17. 18. 19.

§. I.

**M**ARC. IV: 29. ὅταν δὲ ᾤδω ὁ καρ-  
 πός. Locus iste Viros doctos  
 non parum exercuit, ut etiam H.  
 Stephanus in Thef. L. Gr. t. I.  
 col. 998. voce ᾤδωμι, post-  
 quam aliquot illius interpretationes indicas-  
 set, tandem adjiceret: *non abs re certe suspe-  
 cta fuisse videtur hæc scriptura ᾤδω.* Quo  
 autem modo explicandus esse mihi videatur,  
 ipse breviter ostendam. Cum vox ᾤδω-  
 δόναι nativam vim istam habeat, ut tradere  
 & præbere, quomodocunque etiam istud fiat,  
 significet, sæpissime de illo dicitur, *qui alium  
 ita tradit alteri, ut istius voluntati potestatique il-  
 lum committat.* Sic deposcenti cuidam tradit  
 quis alium ad quæstionem & ad supplicium;  
 Demosth. Orat. III. in Aphobum p. 562. lit. A.  
 Edit. Basil. Episcop. ἐπὶ δὲ τὸ πρῶτον ἂν ἐξελέγ-  
 ξαι ζητῶν, ἐξήτησεν ἂν με τὸν παῖδα τὸν χράνον-  
 τα τὰς μαρτυρίας, ἵν' εἰ μὴ παρεδίδεν, μηδὲν δί-

καιον, λέγειν ἐδόκειν, jam si rem explorare & evincere studisset puerum qui testimonia scripserat, a me postulasset, ut eo non tradito, vanitatis & injustitiae convinceret. Tum porro de eo dicitur, qui ipsum se alteri tradit, quod Latini dedere dicunt. Terent. Andr. Act. 1. sc. 1. 36. Cum quibus erat cumque una, iis sese dedere, ad quæ Donatus notat: plus est dedere, quam consentire, quemadmodum in hostium potestatem hostes se dedunt. Sic Herodot. in Terpsich. seu Lib. V. c. XV. οἱ δὲ Πάϊονες παρεδίδοσαν σφεας αὐτοὺς πῶσι Πέρσησι, Pæones dederunt se Persis & Herodian. Hist. L. V. c. 4. 18. ᾧ δὲ αὐτοὺς ἐκδότους καὶ ὡσπερ αἰχμαλώτους ἤδῃντο, & se permittere hostium potestati, quasi dedititios captivosque verebantur. Et servus ad ministeria Domino præstanda obsequiosum præbens se, ᾧ δὲ δίδοναι dicitur; Plutarch. in ὅπ. διδακτὸν ἢ ἀρετὴν p. 439. Ed. Ald. de Scythis: ἐκεῖνοι μὲν γὰρ, ὡς φησὶν Ἡρόδοτος (in Melpom. seu Lib. IV. c. II.) τοὺς οἰκέτας ἐκτυφλοῦσιν, ὅπως ᾧ δὲ δῶσι αὐτοῖς, Illi servos, ut memorat Herodotus, excæcant, ut ipsis obsequentiores & ad ipsorum arbitratum servientes se tradant. Quo in loco observari omnino meretur, quod accusativus traditæ rei deficiat. Hinc cum simili plane modo apud Marcum sine accusandi casu ponatur, ὅταν δὲ ᾧ δὲ ὁ καρπὸς, planum est, quod ᾧ δὲ εἶναι ὁ καρπὸς, translatione ab animatis ad rem inanimam facta dicatur, fructus, qui

maturus factus & idoneus, ut admissa falce demetatur, succidentum quasi se tradit. Tum enim unice desiderii, quo Dominus ruris diu tenebatur, expectatio poterit expleri, cum ad maturitatem perductæ fruges, tanquam obsequentes servæ Domino suo colligendas se præbuerint. Similiter homo si tempore messis illius tanquam inutile zizanium igne comburi non vult, sed frumenti laudabilis instar in Domini horreum colligi desiderat, non solum ut bonum semen germinare, sed etiam per viridantium virtutum incrementa in spicam granis bonorum operum turgidam adolescere, sicque totum se ut fructum amore divino maturandum aliquando demetendum Deo condendumque dedere debet. Non multum absimili modo, quo Marcus *ἠποιδόναι* adhibuit, Hippocrates *ἠποιδόναι* in lib. III. Aphor. 8. usurpavit: *ἢν ὠρεγίως τὰ ὠρεγία ἠποιδῶσιν, σὶ tempestive tempestiva se præbuerint.*

§. 2. MARC. X. 50. ὁ δὲ ἠποβαλὼν τὸ ἱαπὸν αὐτοῦ, ἀναστὰς ἦλθε πρὸς τὸν Ἰησοῦν. Cum mendici homines, qui ut stipem a prætereuntibus colligant, ad publicas vias solent sedere, plerumque observentur sarcinulas aliquas, vel & vestimenta quædam sua deponere, iisque juxta vel & super assidere, videtur pauper iste cæcus in nostro Evangelio a Jesu vocatus suum potius depositum amiculum, quod ut recte M. Flacius Illyr. ad istum locum monet, *non ita multum eum impe-*

dire in tam brevi spatio poterat, sumsisse potius quam projecisse putandus. Ita in Act. XII. 8. Angelus Petrum captivum liberaturus jussit induere depositum vestimentum, non abjicere, *ᾠειβαλῆ τὸ ἱμαπὸν σκ*, cum maxime festinato opus esset. Huc accedere potest, quod vox *ἀποβάλλειν* non admodum sic usurpata, ut significet, *rem aliquam sponte & ultro abjicere*, reperiatur; ut hinc G. Budæus in Comment. Gr. L. p. 544. ut etiam H. Steph. in Thes. t. i. c. 674. testentur, nonnullos ex Grammaticis velle quod *ἀποβάλλειν* sit *hominis invitæ*, & *ἀποβάλλον* dicatur, *qui invitæ*, *ἀποβαλλόμενος* vero, *qui libens perdit*. Quanquam alii contrarium quoque doceant: Varinus certe in Lexico v. I. *ἀποβάλλειν*, *τὸ ῥίπτειν καὶ ἀφίεναι χιτῶνα ἢ ἕτερον τι ἀποβάλλεσθαι δὲ, καὶ τὸ μετὰ βίας σέρεσθαι πν* & *οἷον ἀπεβάλετο τὸν πατέρα θανάτω*. Ipso Homerus Iliad. L. II. v. 183.

----- ἀπὸ δὲ χλαῖναν βάλε -----

quæ verba Paraphrasis Græca, quam in Iliadem Homericum Scholiis quibusdam Manuscriptus Codex à Venerando Domino Joh. Henrico Gernlero, Ecclesiæ ad D. Petri Basileæ Pastore meritissimo, possessus complectitur, explicat per *τὴν δὲ χλαῖναν ἀπέριψε*. Quare non omnino sine causâ quis conjectare possit, num forte *ἀποβαλὼν* ortum sit ex *ἀπολαβῶν*, ut sic cæcus ille ad Salvatorem Jesum festinans sumpto & arrepto, non autem abjecto amiculo suo surrexisse atque ad ipsum venisse dicatur. Sane voces istæ *βαλεῖν* & *λαβεῖν*, harumque similes

les & ab ipsis formatae ubique solent in Graecis Authoribus pro se invicem permutatae inveniri : ut etiam Cel. J. Barnes ad Iliad. K. v. 328. observat, cum ex Cod. Msto Coll. Corp. Chr. Cantabr. antiquam in Homero lectionem βαλε, recte mutavit in λάβε : quam lectionem etiam Paraphrasis Codicis Gernleriani modo laudata confirmat. Ipse tamen Barnesius non vidit, quod in Euripidis Iphig. in Tauris v. 329.

’Ουδεις τὰ τῆς θεῆς θυμῶν εὐτύχει λαβών.  
τὸ λαβών corruptum sit ex βαλών, ut sensus sit iste, quod ex omnibus illis, qui plurimi Pyladen & Orestem lapidibus impetebant, nullus tam felix fuerit ut illas Dianae victimas tangere & percutere potuisset. Ex profecto si legamus in Marco nostro, ὁ δὲ ἀπολαβών τὸ ἱμάτιον &c. nobilem valde fructuosamque commentationem inde, qualem pristina lectio nequaquam suppeditet, in animum nostrum accipere possumus, si prout passim à nobis in Sacris Literis fieri debere puto, locum à sensibilibus ad sublimiora notanda transferamus. Non certe nos ad Jesum nostrum festinantes nostra debemus projicere, sed aliena, quæ nostra non sunt, nec esse nostra possunt : ea quæ stolide nobis affectamus ipsi : quæ animum onerant, illum implicant & impediunt, quo minus is surgere & adire Jesum possit. Peccator spiritualiter cæcus, ut ad Salvatorem suum veniat visumque recuperet,

repudiatis omnibus & procul abjectis impedimentis alienis sua recipere vestimenta debet. Μακάριος ὁ γρηγορῶν καὶ τηρῶν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ &c. *Beatus qui vigilat & servat vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus. Apoc. XVI. 15.*

§. 3. LUC. XIV. 31. Ἡ τίς βασιλεὺς πορευόμενος συμβαλεῖν &c. Eadem similitudine Socrates quoque fuit usus apud Xenophontem ἀπομνημον. Lib. IV. p. 501. Edit. Bryling. Bas. in eleganti illo colloquio, quo conatus ille fuerat Euthydemum docere, quod sui ipsius cognitio homini ad perfectionem beatitudinemque consequendam esset unice necessaria: ὁρᾷς δὲ καὶ τῶν πόλεων ὅτι ὅσαι εἰν ἀγνοήσασαι πῶ ἐαυτῶν δύνανται κρείττοσι πολεμήσωσιν, αἱ μὲν ἀνάσσει γίνονται, αἱ δὲ ἐξ ἐλευθέρων δεύουσι. *Vides vero quod illarum civitatum quaecunque suarum ignare virium potentioribus bellum fecerint alie everti funditus, alie autem ex liberis servae fieri soleant.*

§. 4. JOH. V. 13. ὁ γὰρ Ἰησοῦς ἐξένευσεν ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ. Interpretes quos vidi omnes istud ἐξένευσεν interpretantur per, *evaserat, sese subduxerat, occultaverat se, & his similia.* In quem vero finem se Dominus tum ad Bethesdam populo subduxisset non video: cum ipse mox homini illi sano facto manifestum se in Templo, ubi non minor fortassis populi confluxus fuerat, fecerit, atque alias quoque magna hominum turba praesente mi-

racula fecisset etiam in sabbatho, ut ex Luc. VI. in homine aridam manum habente factum fuit. Existimo itaque locum D. Johannis ita esse accipiendum, ut significet: *Nam Jesus nutu capitis locutus fuit è populi turba que in illo loco erat.* Ut indicetur Dominum Jesum è medio populo qui undique ipsum circumdederat exerto per multitudinem capite cum ægroto illo fuisse locutum, ut sic ægroto ille suum Benefactorem cognoscere certo non posset. Quamvis enim aliquando ignoti cujusdam vultum inter confertam hominum multitudinem etiam intueamur, non ita facile postea ipsum obviam nobis factum agnoscere valemus. Νεύω certe est nuo, nutum do, nutu ator. Joh. XIII. 24. Νεύει εν τούτω, innuit ergo huic. & Homer. Il. I. v. 223.

Νεύσ' Αϊας Φοίνικι -- --

Innuit Ajax Phœnici -- --

ἐκνεύω hinc est, nutu significo, nutu jubeo. Euripides Iphigen. in Taur. v. 1330.

-- -- ἐξένευσ' ἀποσῆναι πρόσω

Ἀγαμέμνονος παῖς -- --

Nutu jussit absistere procul

Agamemnonis filia. ut Joach. Camerar. Comment. utriusque linguæ p. 79. lin. 37. recte explicat. Hinc apud Theocritum Idyll. XV. v. 88. sic lego:

Τρυγόνες ἐκνευσῶν πλάτριάσδοισαι ἅπαντες.

Tur-

*Turtures colloquuntur lato ore pronunciantes omnia.*

Cum vulgo male scriptum sit, ἐκκναισεῦντι πλατῶσδοισαι. Aldi Editio, ἐκκναισεῦντι πλατῶσδοισαι. Est vero ἐκνευσεῦντι per Doricam Dialectum positum pro ἐκνεύσουσι. Varinus in Lex. v. Ἐκνευσεῦνται πρὸς Θεοκρίτῳ, ἀντὶ τῆς διαλέγουσι, ubi tamen pro ἐκνευσεῦνται scribi debet, ἐκνευσεῦντι, & διαλέγονται, pro διαλέγουσι.

§. 5. ACTOR. VII. 57. κροῖξαντες δὲ φωνῇ μεγάλῃ &c. Vix est dubium, quin scribi debeat, (b) κροῖξαντος δὲ φωνῇ μ. *cum clamaret*, videlicet Stephanus ea quæ v. 56. continentur. Cum enim Protomartyr ille singulari Spiritus S. gratia esset impletus & incredibili simul lætitia exultaret, quod Dei gloriam Jesumque ex dextris Dei stantem videret, mirum nullum est, quod ita voce magna cum illa diceret exclamarit, quando etiam postea cum jam undique lapidibus impetitus, & viribus deficiens genua posuisset magna voce clamasse dicatur v. 60. θεὸς δὲ τὰ γόνατα ἐκροῖξε φωνῇ μεγάλῃ. Ipse quoque Jesus Matth. XXVII. 50. ita clamasse narratur: ὁ δὲ Ἰησοῦς πάλιν κροῖξας φωνῇ μεγάλῃ ἀφῆκε τὸ πνεῦμα.

§. 6. ACTOR. XVI. 18. παρεγγέλω σοὶ ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐξελθεῖν ἀπ' αὐτῆς καὶ ἐξελθεῖν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ. Istud ἀπ' αὐτῆς hic non de πειδί-

(b) Hanc lectionem retinuit Curcellæus. Eamque habent & Stephani quidam & Laudianus apud Millium codices. T. d. H.

*διόκη puella*, unde spiritus ilie exire debebat, ut haecenus factum est, capiendum esse existimo: cum eo potius juncta debet intelligi vox *ώρας*, ut sit, *illico, mox, statim*: quomodo alias dicitur *ἐξ αὐτῆς*, vel conjunctim *ἐξ αὐτῆς*. Quod autem hic per τὸ, ἀπ' αὐτῆς, exprimitur id alias in sacris nostris completum exhibetur ita, ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης, Matth. XV. 28. Similiter ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας, exstat Matth. XXII. 46. Quemadmodum vero ἀπ' αὐτῆς dictum est ut cum eo subintelligi debeat τὸ, ὥρας, sic etiam ἀφ' ἧς reperitur Luc. VII. 45. pro completo isto, ἀφ' ἧς ὥρας. Et Actor. XXIV. 11. ἀφ' ἧς ponitur, pro ἀφ' ἧς ἡμέρας. Quod vero τὸ, ἀπ' αὐτῆς, in loco citato summi debeat ut dictum est, cognosci quoque ex iis quæ à sacro Historico mox adduntur, καὶ ἐξῆλθεν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, ut merito videantur illud ἀπ' αὐτῆς interpretari: Quin idem etiam suadere videtur illa D. Pauli commotio, qua ductus impuro spiritui exitum illum imperavit, διαπονηθεὶς &c. *agre ferens*. Quam sententiam quoque Jo. Chrysostomo fuisse non obscure conjici posse puto ex iis, quæ Homil. IV. contra Judæos post alia dicit: διὰ τὸ τοῦ μαλίστα Παύλου διεπονείτο καὶ δέσπευεν αὐτὰς ἐπιστομίαι, *hanc ob causam & Paulus potissimum moleste ferebat, festinabatque illis os occludere*. Ne quis vero existimet τὸ, ἀπ' αὐτῆς ita sumptum aliis inusitatum omnino esse, en Arriani locum in Epiict. Lib. II. c. XII. ὡς πάνθ'

πάνθ' ὄντων ἐν συναϊθανόμῳ, τῆς μάχης ἀναχω-  
ρεῖν ἀπ' αὐτῆς, *ut quicumque intellexisset, à di-  
sceptatione illico discederet.*

§.7. ACT. XX. 22. Καὶ νῦν ἰδὲ ἐγὼ δεδεμμένῳ  
τῷ πνεύματι πορεύομαι. *Ista locutio δεδεμμένῳ  
τῷ πνεύματι admodum abusive posita videtur,  
quamvis illam, ut commodissime fieri potest,  
de Spiritu S. dictam accipiamus: nec memi-  
ni libros sacros docere usquam, quod Spiritus  
S. hominem vinciat, sed contra liberet. Quis-  
quis illius instinctum maxime sequitur, vera  
demum is plenaque libertate unice fruitur.  
Quam jucundissimam sane libertatem D. Apo-  
stolus mox v. 24. testatur cum dicit: ἀλλ' ἔδε-  
νός λόγον ποιῶμαι, &c. *sed nullius rei habeo ra-  
tionem, neque vita mea mihi ipsi chara est, ut con-  
summam cursum meum cum gaudio. Valde proin-  
suspicor illud δεδεμμένον perperam ortum esse  
ex eo, quod v. 23. dicitur, πλὴν ἐπιτὸ πνεῦμα  
τὸ ἅγιον -- ὅτι δεσμά με καὶ θλίψεις μένουσιν, nisi quod  
Spiritus S. -- quod vincula me & afflictiones mane-  
ant: ac primum loco illius scriptum fuisse δε-  
δομμένῳ τῷ πνεύματι, (c) traditus, commissusque  
spiri-**

(c) At vero nullus est, quod sciam, manu exarato-  
rum codicum, qui hanc lectionem confirmet, sine  
cujus tamen ope vel unius literulae apex haud facile  
inmutandus est. Praesertim cum commoda hujus  
loci dari possit expositio, sive de spiritu S. sive de  
Spiritu Apostoli velis interpretari. Si priori modo  
capis, sensus erit, blanda quidem, atque amica, sed  
vorticordia spiritus Sancti vi, incitari, impelli, tra-  
hi

*Spiritui.* Et sic profecto humilimum Pauli obsequium, quo in omnibus S. Spiritus voluntatem & impulsu unice sequutus sit, ostenditur. Hinc & Act. XIV, 26. de eodem Paulo & Barnaba dicitur, ὅθεν ἦσαν παραδεδομένοι τῇ χερί τῆς Θεῆς, unde erant traditi gratia Dei. Et ipsum Apostolorum concilium de iisdem præclarissimum perhibet testimonium Act. XV. 26. ἀνθρώποις παραδεδοκόσι τὰς ψυχὰς αὐτῶν &c. *Hominibus qui tradiderunt animas suas pro nomine D. N. I. C.* & de Paulo iterum Lucas Act. XV. 40. παραδοθεὶς τῇ χερί τῆς Θεῆς ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν, *traditus gratia Dei a fratribus.*

§. 8.

hi, imo quasi vinculis quibusdam amoris constringi, ut non possit non iter Hierosolymanam persequi. Et sic conferenda omnino similis atque ejusdem significationis phrasis, quae cap. XVIII: 5. occurrit. Συνειχέτω (constrictus fuit, quasi vinculis) ΤΩ Ι ΠΝΕΥΜΑΤΙ Παύλου & διαμαρτυρούμενον τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν τοῖς Ἰουδαίοις. Confer. etiam 2. Cor. V: 4. & Hof. XI: 4. Sin vero posteriori ratione malis sumere de spiritu Pauli, conferri debet versus 23. ubi dicitur spiritum S. contestatum esse Paulo, quod eum & vincula & afflictiones maneant. Id itaque sciebat Paulus se vincendum iri cum Hierosolymanam adventurus erat, tamque clare id animo sive spiritu praevidebat, quam ea videre solemus, quae oculis cernimus corporis. Et sic δεδεμένον erat πνεύματι, vinculus erat ratione animi, praesagientis catenas, licet adhuc corpus a vinculis liber ac solutus esset. Ut nunc aliorum virorum cogitationes super hoc locotaceam. T. d. H.

§. 8. ACT. XXVIII. 25. ὅτι καλῶς τὸ πνεῦμα  
 τὸ ἅγιον ἐλάλησε διὰ Ἡσαΐα τῆ προφήτου πρὸς τὰς πα-  
 τέρας ἡμῶν. Neutiquam existimo D. Paulum  
 in hac sua gravissima increpatione, qua in  
 incredulos Judæos invehebatur, πρὸς τὰς πα-  
 τέρας ἡμῶν, ad patres nostros, hic dixisse: ut  
 proin rectius ὑμῶν vestros cum Msc. Cod. Cæ-  
 sareo Viennensi scribendum esse videatur.  
 Cum enim D. Apostolus incredulitatem ipsis  
 acerbe admodum objiceret, veri non est si-  
 mile, quod voluerit infideles illos, ad quos Pro-  
 pheta loquebatur ita honorare, ut eos fide-  
 lium Patres appellaret. Salvator noster Abra-  
 hamum infidelium illorum Judæorum esse  
 Patrem negat Joh. VIII. 39. εἰ τέκνα τῆ Ἀβραάμ  
 ἦτε &c. Si filii Abrahami essetis, opera Abrahami  
 faceretis. Idem quoque dixit, καὶ ὑμεῖς πληρῶ-  
 σατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν, etiam vos imple-  
 te mensuram patrum vestrorum, Matth. XXIII.  
 32. Nec Stephanus aliter locutus fuit de infi-  
 delibus Judæis Act. VII. 51. & 52. Quemad-  
 modum itaque ipse Salvator nolebat Judæos,  
 quamvis semen Abrahami secundum carnem  
 essent, filios Abrahami agnoscere, quod ope-  
 ra Abrahami non facerent, sic nec dici potest  
 Abrahamus pater infidelium. (d) Infideles  
 profecto illi qui occiderunt Prophetas non  
 erant patres fidelium, nec vicissim fideles di-  
 ci

(d) Habet & hanc lectionem ὑμῶν longe maximus  
 Manuscriptorum Codicum numerus, apud Millium.  
 T. d. H.

dici debent illorum infidelium filii. Res aliter se habet Act. V. 30. ubi D. Petrus, ὁ θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, Deus patrum nostrorum, & Act. XIII. 17. ubi D. Paulus, τὰς πατέρας ἡμῶν, patres nostros: ut etiam eodem capite v. 32. πῶς τέκνοις αὐτῶν ἡμῶν, liberis ipsorum nobis, recte dicunt.

§. 9. ROM. I. 13. ἵνα καρπὸν πνεύματος ἁγίου. Istud καρπὸν ab Apostolo positum esse existimo pro παροφειῶν, ut fructum (utilitatem) aliquem exhiberem. Ita vero etiam alias τὸ ἔχει usurpatum deprehenditur. Xenoph. Ἀναβάσις. Lib. V. p. 250. Ed. Bryl. ἀγοράν δὲ τίς ἐξεί τῶν ἰσχυρῶν ἢν περὶ τὰ μέγιστα πιαυτὰ ἐξαμαρτάνοντες φαινόμεθα. Quis vero nobis commeatum fidenti animo venalem exhibiturus est, si notum factum fuerit, quod in rebus gravissimis talia commiserimus? & Homerus Il. π. v. 794. dixit:

Ἡ δὲ κυλινδομένη καναχὴν ἔχε --  
 ubi ἔχε ponitur pro παρέχεν; & Paraphrasis Msc. cit. καναχὴν ἔχε reddit per ἦχον ἐποίησεν sonitum fecit, sonitum dedit. Quod vero locus Pauli ita capiendus sit, docent tum ea quæ ipsum v. 11. antecedunt, ἵνα πνεύματος ἁγίου χάρισμα ὑμῖν πνεύματος. ut aliquod vobis impertiar donum spirituale: tum quoque ea quæ sequuntur v. 14. Ἐλάησι τε καὶ βαρβάροις. &c. in quibus tamen fortasse pro Ἐλάησι τε, scribi debet, Ἐλάησι δέοις, quippe causam ista indicant desiderii, quo D. Apostolus teneri se profiteretur aliquem etiam inter Romanos fructum exhibendi: quod vi-

delicet debitor esset tum Græcis tum Barbaris. Ita ut τὸ, δὲ, hic idem significet, quod τὸ, γάρ. Qua in significatione apud Græcos, sacros æque ac Profanos scriptores non raro positum observatur.

§. 10. ROM. II. 5. καὶ ἀποκαλύψεως δικαιο-  
κρσίας τῆ Θεῶ. Ita citatum quoque scribitur  
in Editis Origenis contra Celsum Lib. IV.  
p. 211. Edit. Cantabr. Verum Codex Msetus  
Bibliothecæ Acad. Basil. istos Origenis libros  
complectens legit, καὶ ἀποκαλύψεως καὶ δικαιο-  
κρσίας τῆ Θεῶ. (e) Quæ certe lectio nequa-  
quam est negligenda, imo illa vulgata haud  
paulo melior esse videtur: cum illa dies non  
futura sit tantum dies, qua revelabitur ju-  
stum Dei judicium: sed dies, qua ipse Deus  
revelabitur: qua Christus Jesus omnibus gen-  
tibus revelabitur esse Dei Filius, & verus De-  
us. ὁψονταί εἰς ὃν ἐξέκντησαν, Joh. XIX. 37.

§. 11. I. COR. II. 16. Τίς γὰρ ἔγνω τὴν κρυψήν,  
ὃς συμβιβάσει αὐτόν; Quamquam in verbis  
LXX. Esai. XL. 13. unde D. Apostolus sua  
ista sumsit τὸ, ὃς, naturalem suam vim, ut  
postpositivus articulus dictus, recte servare  
possit, tamen existimo quod Paulus cum  
verba Prophetæ quibusdam mutilata hic ad-  
hibere vellet, illius significationem mutarit,  
illudque in ipsius interrogavi τίς, quod an-  
tecedit, significatu adhibuerit. Quin enim  
ita

(e) Et ita quoque quam plurimi Codices alii, quorum  
bene longum catalogum exhibet Millius, T. d. H.

ita majus orationi robur & vehementia accedat, non est dubitandum. Τίς γὰρ ἐγνωνέν κυρίῃ; ὃς συμβιβάσει αὐτόν; *quis enim novit mentem Domini? quis docebit eum?* Usus autem istum τῷ, ὃς, pro interrogativo τίς, exemplis hic docere vix non supervacaneum esse puto: sufficiat unum istud Platonis Epist. VII. p. 716. lit. F. Edit. Lugd. addidisse: *ὡς δὲ ὀρνίθων τὰς ἐκείνῃς βελτίους πειράσθαι ἀποτελεῖν* (sic scribendum, pro ὑποτελεῖν) *αἱ δὲ ἦσαν ἀκηκόατε παρ' ἐμῶ σαφῶς.* *Istius vero voluntates ut faustissimas, perficere conari: quanam autem illae fuerint, aperte audivistis a me.*

§. 12. I. COR. XV. 8. *ἔχατον δὲ πάντων ὡσπερὶ τῷ ἐκτρώματι ὡφθη καί μοι.* Valde suspicor istud τῷ, hic encliticum esse debere, & indefinite pro πανι positum fuisse ab Apostolo, ut scribatur, *ὡσπερὶ τῷ ἐκτρώματι, sicuti cuidam abortivo fœtui.* Non sane credibile est D. Paulum se peculiariter voluisse, τὸ ἐκτρώμα, nominare. Notum est Græcarum literarum peritis, quam vim articulus ita additus habeat: τὸ ἀγαθὸν certe, & ἀγαθὸν ita differunt, ut τὸ ἀγαθὸν, *solum illud summum & unicum dictum bonum: ἀγαθὸν autem sine articulo, quodvis speciale bonum significet.* Ut autem in Pauli loco sic existimarem, fecit Codex Mscetus supra laudatus Origenis libros contra Cels. continens, qui manifesto legit, *ὡσπερὶ τῷ ἐκτρώματι,* cum Editi Orig. Lib. II. pag. 99.

Cant. similiter atque vulgati N. T. libri scribant.

§. 13. Ibid. 29. Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτίζομενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, &c. In hujus loci sensu explicando Docti in diversa abeunt. Magnus quidem Grotius vocem ἐπεὶ hic esse, *præterea*, per illam D. Apostolus novum ad mortuorum resurrectionem stabiliendam argumentum ordiatur, rectè judicat; Crebro enim & quod illa apud Græcos Authores isto in significato usurpata observatur, quamvis multi Interpretes in ea passim fuerint hallucinati. Fallitur vero, quod existimet, illud D. Apostoli argumentum esse sumptum ab illo ritu, quo vivum aliquem alterius vice sine baptis- mate mortuū, ut hoc modo illius fidem ob- signaret baptizatum fuisse docet. Cum ri- tus ille, præterquam quod D. Paulus hujus- modi argumento nihil quicquam pro mor- tuorum resurrectione conficere potuisset, ne- quaquam tum in Ecclesia fuerit: & si fuisset, à Paulo potius ille reprehendi non in exemplum adduci debuisset, ut Seb. Castalio recte monuit. τὸ, βαπτίζεσθαι itaque cum Clarissimo Parer- gorum Sacrorum Authore & ante ipsum Im- man. Tremellio eum hic sensum habere sta- tuo, quem habet Matth. XX. 22. 23. Marc. X. 38. & Luc. XII. 50. Et quod hujusmodi calamitatum quas fideles Christi Discipuli su- stinere in hac vita coguntur, baptismus hic sit intelligendus, ipse nobis Apostolus in iis quæ in v. 30. 31. & 32. sequuntur, ita palam facit, ut locus dubitationi nullus relictus esse

videatur. Reliquum est, ut quid verba, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, sibi velint, expendamus. Dico itaque ea designare, *pro mortuis, mortuorum causa, in gratiam mortuorum.* Ut adeo non tantum de Christo, sed de iis ipsis quoque qui præsentis vitæ commoda negligunt, omnibusque miseriis & acerbissimæ morti semet exponere non detrectant, intelligantur. Xiphilinus in Nerone simili fere significato, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, ponit, cum Boundovicam ad Britannos suos sic loquentem memorat p. 160. Edit. R. Step. ἔδὲ γὰρ τελευτῆσαι παρ' αὐτοῖς ἀζημιόν ἐστιν, ἀλλ' ἴσῃ ὅσον καὶ ὑπὲρ τῶν νεκρῶν πλεῖμεν. παρὰ μὲν γὰρ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις καὶ ἰὸς δαλεύοντάς πιν ὁ θάνατος ἐλευθεραῖ, Ῥωμαίοις δὲ μόνοις καὶ οἱ νεκροὶ ζῶσι πρὸς τὰ λήματα. *Neque enim apud ipsos mors est indemnitas, sed nostis, quantum etiam pro mortuis dependamus. Nam apud cæteros quidem homines mors etiam servientes aliis liberat, Romanis vero solis sane mortui quoque ad questum vivunt.* Ut argumentum hinc Pauli, præclarum sane & firmissimum sit istud. Si mortui non resurgunt, ipse Christus non resurrexit: Si Christus non resurrexit, falsa sunt, quæ Apostoli, alique ejus Discipuli de illo fuerunt testati. Si falsa sunt ista omnia, insaniam insaniunt illi, qua profecto nulla usquam possit esse dementior: cum ea de Christo false dicant, unde tantum abest, ut aliquem percipiant utilitatem, ut ipsos potius vitæ hujus ornamentis, commodis, fortunisque omnibus spoliatos miseriæ & ærumnæ

premant omnes, tandemque mors consumat crudelissima. Atqui profecto talis in hominem infania cadere non potest; nemo tot & tanta, tamque gravia mala pro meris patitur figmentis. Nequaquam ergo Apostoli de Christo illa falso prædicant. Vere ergo Christus resurrexit: vereque hinc cæteri quoque mortui resurgent. Nequaquam ergo *pro mortuis, propter mortuos* Discipuli Jesu omnes hujus mundi delicias spernunt: cum omnibus contra maximis incommodis conflictantur, mortem quoque tandem miserabilem subeunt. Vivit ipsorum Magister Jesus: vivit Jesus, *qui fuit mortuus*, *Et ecce vivens est in secula seculorum: Et claves sepulchri Et mortis*, Apoc. I. 18. Huic soli ut placeant, hunc ut sequantur, cum hoc ut ex ista vita per mortem egressi aliquando jungantur, cum hoc ut tandem in omne ævum cum corporibus suis per resurrectionem rursus sociandi vivant, omnes adversitates vitæ patienter sustinent.

§. 14. Ib. 49. Φορέσωμεν καὶ τὴν εἰκόνα τῆς ἐπισημίας. Quin Φορέσωμεν hic per ω rectius scribatur, ut sit, *portemus*, nullus dubito. Quod istam Lectionem nonnulli Codices habeant jam testatus fuit Erasmus. Vulgatæ Lectionis Φορέσωμεν, per ο, antiquitatem commendare videtur Origenes. Cum enim is Lib. V. contra Cell. istum Apostoli locum citet, in Impressis, p. 243. Ed. Cant. bis per ο' Φορέσωμεν scri-

scribitur. Verum Codex ille Msct. supra lau-  
 datus, unde Origenis excellentissimum opus  
 contra Celsum quam plurimis in locis emen-  
 dari in Impressis supplerique possit, bis ibi-  
 dem φορέσωμεν per ω, & quidem sine ἰψ, ἔλω,  
 quod Impressi habent, scribit. Codex  
 quoque Msct. antiquissimus Alexandrinus,  
 etiam Exemplar Complut. impressum, alii-  
 que in Epistola Pauli per ω legunt, φορέσωμεν.  
 Ita quoque legitur apud S. Maximum περὶ  
 αἰγῶπ. Centur. 2. §. 79. Ut omnino D. Pauli  
 locus si recte consideretur προῳροπὴν quandam  
 & adhortationem indicare debere, sicque  
 lectio φορέσωμεν, portemus, illi alteri præfe-  
 renda esse videatur: cum & ex iis quæ se-  
 quenti versu 50. dicuntur, admonitionem  
 admodum seriam in animos lectorum immit-  
 tere voluisse Apostolus deprehendatur. Quod  
 sane si aliter fecisset, securus inde reddi quis  
 facile potuisset, & existimare, quod ad  
 imaginem illius cœlestis Adami gestandam  
 omnino tempus illud resurrectionis mortuo-  
 rum expectari deberet. Ista profecto imago  
 jam nunc in nobis formanda est: istamque  
 ut in præsentis vitæ tempore gestemus, seri-  
 am dare debemus operam; quod facere quis-  
 quis neglexerit, is eam sane nunquam esse  
 posthac gestaturus est censendus.

§. 15. I. COR. XVI. 9. θύρα γάρ μοι ἀνεῳγε  
 μεγάλη καὶ ἐνεργής. II. Cor. II. 12. καὶ θύρα μοι  
 ἀνεῳγμένη ἐν κυρίῳ. Ostium, quod Apostolus

hic apertum sibi fuisse prædicat, existimo esse *ures* illorum, qui Evangelium Christi à Paulo annunciatum admittebant. Aures sane sunt per quas tanquam per portam in animum ingreditur fides in Christum ut Rom. X.17. Hinc Apoc. III. 3. ἰδὲ ἔσθηκα ἐπὶ τὴν θύραν &c. *Ecce sto ad januam & pulso: si quis audiverit vocem meam, & aperuerit januam, ingrediar ad ipsum.* Et Act. XLV, 27. ὅτι ἤνοιξε τοῖς ἔθνεσιν θύραν πίστεως, quod aperuit Deus gentibus januam fidei. In priori vero Pauli loco pro ἐνεργῆς cum H. Grotio malim quorundam Codicum lectionem ἐναργῆς manifesta. Quam ἐναργῆς fuerit illa Paulo aperta janua ex Actis Apostolorum passim potest patere.

§. 16. GAL. IV. 10. Ἡμεῖς παρατηροῦμε καὶ μῆνας, καὶ καυρῶς, καὶ ἐνιαυτῶς. *Ista sic scripta sine dubio languida magis erunt, nec lectorem ita vehementer afficient, quam si per interrogationem legantur. Et istud quidem cum Mscro Cod. librorum Origenis supra citato, qui Lib. VIII. contra Cels. verba illa Pauli cum interrogatione scripta habet, cum ea in Edit. Cantabr. p. 392. sine interrogatione similiter scribantur. Quin autem sic per interrogationem expressa vehementior asperiorque fiat oratio, & talis in reprehensionibus vituperationibusq; adhibenda potissimum sit, nemo facile dubitabit.*

§. 17. Phil. II. 6. ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων  
 οὐχ ἀρπαγμὸν ἠγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Multi  
 quidem hactenus Eruditorum variam in ex-  
 plicando istius loci sensu posuerunt operam;  
 nondum tamen is in omni sua luce positus  
 esse mihi videtur; addam itaque quædam,  
 quæ illum illustrare magis posse spero. Ver-  
 bum ἀρπάζω, unde ἀρπαγμὸς est derivatum,  
 cum proprie de violentis & rapacibus bestiis,  
 ut lupis aliisque fuerit dicta, ad hominem  
 quoque translata est, ut diceretur de illo qui  
 per vim alii invito aliquid aufert. Varin. in  
 Lexico v. Ἀρπάζω κυριολεκτεῖται ἐπὶ λέοντων,  
 καὶ κυνῶν καὶ λύκων καὶ τῶν τοιούτων. ἀρπάζω  
 λέγεται καὶ τὸ βιαίως λαμβάνω μὴ βουλομένου  
 δηλονότι τοῦ ἀφαιρουμένου. Hinc quoque vox  
 ista sumitur ut indicet rem quamvis cupide pre-  
 hendo & corripio. Sic Plut. in Timoleonte  
 de Corinthiis cum Syracusani missis legatis  
 ipsorum tutelæ & præsidio se commenda-  
 rent, usurpat: ἔχ ἤρπασαν οἱ Κορίνθιοι τὴν  
 πλεονεξίαν, οὐδὲ προσεποίησαν ἑαυτοῖς τὴν πόλιν,  
 non arripuerunt Corinthii istam, qua suam poten-  
 tiam ἔσ opes augere potuissent, opportunitatem,  
 nec vendicarunt sibi ἔσ subjicere conati fuerunt hanc  
 urbem. Xenophon quoque lib. VI. ἀναβάσ.  
 p. 263. Ed. Bas. ad suos milites: τὸ δὲ λαβάν-  
 τας ὅτι οὐδὲν ναίωμεν χαλεπὸν ποιήσασθαι, μέλλοντες  
 μαχεσθαι, αἴρ' οὐχὶ καὶ ἀρπάσαι αἴξιον, cum pu-  
 gna nobis capessenda sit, nonne cupide arripere de-  
 beamus istud tanquam rem, quæ magnum ad victo-  
 riam

r<sup>iam</sup> momentum allatura sit, ut nimirum saltum istum quamprimum transeamus, eumque nobis a tergo ponamus? & Plato Epist. VII. p. 716. A. Ed. Lugd. μικροὶ δὲ ἢ ἀνελεύθεροι ψυχῶν ἦσιν τὰ λοιπὰ ἀρπαγεῖν κέρδη φιλεῖ. parvi autem & il- liberales animi, ejusmodi lucra cupide solent arripere. Ælianus item Var. Hist. L. III. 17. ἐγὼ μὲν γὰρ τὴν σὺν αὐτοῖς ἀπειροσύνην ἢ τὸν ἦς ἡσυχίας ἔρωτα καὶ ἀρπάσσειμι ἐπιδημιῶν. Ego equidem ipsorum otium, & tranquillitatis amorem cupidissime arriperem. similiter Terentius in Eun. Act. III. Sc. V. v. 23.

---- quod ego arripui.

§. 18. Cum vero homines rem vehementer cupitam atque in aliquo singulari pretio ab ipsis habitam ita soleant invadere, arreptamque sibi vendicare, si forte illam fuerint nacti, factum est quoque ut res hujusmodi omnis, quam quis inventam avideprehendere posset, non tantum εὐρημα, εὐτόχημα, ἔρμαιον, sed etiam ἀρπαγμα & ἀρπαγμὸς appellaretur. Ælianus Lib. XIV. H. V. 20. γελοιοῦνται δὲ αὐτὸς τὸ εὐρημα καὶ τὸ παιδὸς ἀρπάσας κατέτρεγεν. Ipse vero ridicule admodum inventum illud a puero abreptum devoravit. Apud Xenoph. ἀναβάσ. II. p. 192. lin. 43. Ed. Bas. Tissaphernes ad Græcos sic fatur, ἐπεὶ ὑμᾶς εἶδον εἰς πολλὰ κακὰ καὶ ἀμήχανα πεπληγέτας εὐρημα ἐποίησάμην, εἶπὼς δυναίμην καὶ βασιλέως αἰτήσομαι, δῆνά μοι ἀποσώσῃ εἰς τὴν ἑλλάδα.

λαδα ὑμᾶς. Cum vos viderem in multas & gra-  
 ves difficultates incidisse, magnum aliquod bonum  
 consequutus esse videbar, si quo modo a Rege im-  
 petrare possem, ut mihi vos incolumes in Græciam  
 reducendi potestatem concederet. Idem Xenoph.  
 ἀναβ. VII. p. 275. l. 17. εἰ δὲ μισθὸν προσλή-  
 ψοιντο, ἔυρημα ἐδόκει εἶναι. Quod si quoque sti-  
 pendium accepturi essent, videbatur esse singulare  
 quoddam lucrum atque commodum. Hesych. v.  
 ἔρμαιον, ἔυρημα, ἢ κέρδιον. Lucian. in Somnio,  
 λαγὼ βίον ζῶν, καὶ τοῦ κρείττονος ἔρμαιον ὄν.  
 Leporis vitam agens, & validioris hermaum exi-  
 stens, i. e. prout quisque validior fuerit, te tan-  
 quam aliquid quod ab aliis amissum relictumque  
 sit, a se vero inventum, putabit. Plato ἔρμαιον  
 & εὐτύχημα conjunxit in Συμπόσ. p. 333. F.  
 Ed. Lugd. ἔρμαιον ἠγνοῦμένην εἶναι καὶ εὐτύχημα  
 ἐμὸν θαυμαστόν, lucrum inexpectatum esse & fau-  
 stissimum existimavi, quod meam is formam mira-  
 retur. Et Heliodorus ἀρπαγμα & ἔρμαιον,  
 Ἄθιοπ. VII. εἴτε ἀρπαγμα εἴτε ἔρμαιον ἠγέται  
 τὸ πᾶγμα, nequaquam rem istam exoptato con-  
 tingens bonum & singulare lucrum esse putavit.

§. 19. Quæ profecto satis esse poterunt ad  
 Pauli phrasin illustrandam; videmus enim  
 quod illud ipsum, quod Paulus ἀρπαγμα  
 ἠγνοῦσθαι dixit, per ἔυρημα ποιῶσθαι Xeno-  
 phon, ἔρμαιον καὶ εὐτύχημα ἠγνοῦσθαι Plato,  
 ἀρπαγμα ἢ ἔρμαιον ἠγέσθαι Heliodorus expref-  
 serint. Nondum vero sic Pauli locus omni  
 sua luce, qua perfundi possit, coruscare est  
 pu-

putandus. Absit ut cogitemus D. Paulum de Sanctissimo Salvatore nostro, ἔχ' ἀρπαγμὸν ἠγάπησεν τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, dixisse, ut indicaret, quod Jesus non magnum bonum accepisse putarit; absit omnino ut istud ita cogitemus. Christus Jesus enim cum sit λόγος σὰρξ γενόμενος, *Verbum Caro factum*, Joh. I. 14. Ille Ἐμμανηὴλ, μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός, *Emmanuel, Deus nobiscum existens*, Matth. I. 23. *Filius Dei æternus & Filius hominis* in una Persona unitus: Christus inquam Jesus non potuit non ratione suæ humanitatis existimare maximum se bonum à Deo fuisse consequutum, τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Agnovit sane evidentissime infinitum istud & maximum quod creaturæ contingere possit unquam bonum. Considerari itaque porro debet, quod ille, qui singulare quoddam bonum consequatur, singulariter quoq; in animo suo soleat lætari, simulque gaudium istud præ se ferre, quantumque potest, gestu & reliquo omni corporis externo habitu testificari, ut inde facile possit conjici illum aliquo peculiari bono fuisse mactatum. Hinc dicitur in Psalmo CXIX. 162. ἀγαλλιᾶσθε μοι ἐγὼ ἐπὶ τοῖς λόγιοῖς σου ὡς ὁ εὐρίσκων σκύλα πολλὰ, *exultabo ego in oraculis tuis, perinde ac qui invenit spolia multa.* Quare cum frequenter illæ voces, quæ priorem aliquam & antecedentem alteri conditionem statumque denotant, ad eum quoque statum indicandum qui ex priori illo consequi possit accipiantur, lætitia vero illa  
 omnis

omnis, qua quis bonum aliquod peculiare  
 nactus perfunditur, & ita gessit, adeptionem  
 boni tantum consequi soleat: per verba,  
 ἀρεπαγμὸν ἠγάσασθαι, quæ prius istud & ante-  
 cedens indicabant, ejus consequens per me-  
 talepsin significari potest, ut denotetur, quod  
 quis gaudium ex bono aliquo, quo se auctum esse  
 cognoscit, plene admittat, atque beatum suum sta-  
 tum externo corporis habitu præ se ferat. Cum  
 itaque D. Apostolus dicit, εἶχ ἀρεπαγμὸν ἠγάσα-  
 το τὸ εἶναι ἴσαι θεῷ, indicare vult, quod Christus  
 θεῶνθρωπος existens ratione suæ humanitatis  
 tam infinitum bonum, ut cum sanctissimo  
 λόγῳ in unam Personam jungeretur, conse-  
 quutus, non fruitus sit incomprehensibili illo  
 gaudio, quod in ipso maximum illud bonum  
 efficere poterat, nec inenarrabilem illam su-  
 pra omnes creaturas cœteras prærogativam  
 usurparit, ὅς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρῆς ὑπέ-  
 μενε, &c. qui pro gaudio quod ipsi erat proposi-  
 tum ignominia contempta sustinuit crucem. Hebr.  
 XII. 2. Hinc omnibus se vitæ humanæ infir-  
 mitatibus & miseriis sponte submitit: pau-  
 periem, famem sitimque toleravit: homi-  
 num contumelias, opprobria, vexationes,  
 ipsam tandem indignissimam mortem crucis  
 passus est, cum cognosceret, quod Patris sui vo-  
 luntas postularet, ut illa omnia ad humani  
 generis redemptionem ita  
 fierent,

*Johannis à LASCO*  
 A D  
*Albertum Hardenbergium*  
 Epistolarum  
 ineditarum Fasciculus.

ARGUMENTUM.

A. ADOARDIA. Conqueritur de valetudine. Laudat Abbatem Aduariensem. B. Libros offert Hardenbergio dono. Clades Ferdinandi. Lascii frater *Hieronymus Eccius*. C. *Gerhardus Campius*. Poloniæ Episcopi. D. Emdenses metu Cæsaris percussis in sectarios inclementius agunt. Confunduntur illi cum veræ religionis asseclis. Constitutio disciplinæ ecclesiasticæ. Consistorium constituitur Emdæ. Zelus Lascii pro disciplina. *Hermanni*, Electoris Coloniensis ordinatio. Ab *Alberto* Duce Prussiæ invitatur. A *Bucero* sollicitatur, ut ad Colonienses veniat. Rationes, cur id detrectet. *Anna*, Ostfrisiæ Princeps laudatur, *Καμπανίζειν*. Campanorum superbia, *Καμπανίσιον*. *Menno* Simonis. *Murmanni* scriptum. *Oecolampadius* laudatur. *Hallo* Ansvirus. Hortatur Hardenbergium ad certam stationem obeundam. Pecuniam illi offert liberaliter. *Petrus Medmannus*, *Schvvenckfeldius*. *David Joris*, invitat Hardenbergium ad se ut veniat. Auguratur se non diu Emdæ mansurum. E. Molestiæ illi a Comite Ostfrisiæ excitatæ. *Ennius*. A Regina Poloniæ accusatus

fatur. Visitationem ecclesiarum orditur. Novus  
 Mennonitarum error. Quibus conditionibus ope-  
 ram suam addixerit Prussiae Duci. Fatetur se cum  
 Prussis in causa sacramentaria facere non posse.  
 Epitome doctrinae suae ad Bucerum mittit. F.  
 Diuturnum silentium exprobat. Visum se pæne  
 amisisse dolet. Quibus conditionibus velit esse Su-  
 perintendens. G. Westerburgius. Scribit ad Her-  
 mannum, Electorem. Επισκοπην rursus suscepit.  
 De uxore ducenda Hardenbergium monet. H. Ille  
 Bremam venit. Vocatur Emdam. Brunsvigæ ad-  
 fuit Melanchthoni. Cum hoc colloqui cupit Lascus. (I)  
 Lascius ad Coloniensem scribit. Conqueritur de ad-  
 versariorum moliminibus. De S. cœna, & orali  
 manducatione ejus sententia. Pacem optat. Mi-  
 nus recte valet. Aes alienum conflare cogitur.  
 (K) Hardenbergio Bremæ tristitia metuenda sunt.  
 Mirari satis nequit ob controversiam Eucharistiae  
 bellum moveri. Suam sententiam explicat. Joh.  
 VI. non agitur de sacra cœna. An Christi corpus  
 eo modo praesens sit, quo Spiritus sanctus. (L)  
 Consilium Wittebergensium de libro *Interim*. Me-  
 lanchthon cogitat Magdeburgum. (M) Se a Frisii-  
 bene exceptum lætatur. Gellii Catechismus.  
 Ejus editio impedienda. Mariae, Angliæ Reginae  
 cum Philippo Hispano conjugium. (N) De West-  
 phali scripto. De Gellii Catechesi. Tres catechis-  
 mi excudentur. Princeps Megapolitanus; quid de  
 eo speret. Jacobus Præpositus, Eilhardus Segebade.  
 (O) In Gellii Catechismo non pauca improbat.  
 Martinus Mycronius. De libro suo in Anglia edito.  
 Westphalus. (P) In Polonia oritur Evangelii lux.  
 Sueci favent Lascio, eorumque Rex eum sociosque  
 a Danis expulsos ad se invitat. Hardenbergius  
 Melanchthonem ad reformandas ecclesias Frisiacas  
 vocari voluerat. Id ægre fert a Lascio.

A.

DOMINO

Alberto HARDEMBURGO,

Theologiæ Doctori in manus proprias Aduardiæ. (a)

**C**ogor iam licet inuitus, sed cogor tamen abs te repetere libros meos, quos tibi cum primo itinere apud nos esses, commodavi; Nam hoc vere proximo alio iam cogito, propter

(a) Fuit illud cœnobium ordinis Cisterciensis, adeoque nomini S. Bernardi dedicatum, situm in Medachiis in agro Groningano haud procul Dammona. Valde olim illustre id fuit, primas tenens inter XXXIII. quæ in illa regione fuerunt, & in primis inclutum superbo fano, quod a. MCCLXIII. solemnî cærimonia inauguratum fuit, auspiciis Papæ Urbani IV. cum illi præesset Gaico, Abbas VII. exstructum ad exemplar fani Clarævallis a D. Bernardo quondam erecti, omnibus dimensionibus ejus servatis, postquam a ducentis hominibus per annos plus viginti tres in illo construendo esset laboratum. Vide Emmum in hist. rerum Frisicarum p. 164. & Christ. Schotanium in hist. Frisicæ, edita Belgice L. V. p. 139. Idem Emmius in libro de agro Frisicæ inter Lavicum & Amasam p. 10. ita describit. *Ante cætera agri Groningani cœnobium est ADOARDIA, quinque vicis imperans, opibus sanosis incluta, superbo imprimis fano visenda, aedi-*

pter coeli huius inclementiam. Video me  
 hic nihil aliud, quam perpetuo agrotare, sic  
 ut nulli hominum usui esse possim. Itaque  
 coepi de migrando consilium, quod etiam  
 mei a me fieri postulant, et proinde te ro-  
 go ut libros meos juxta catalogum mea, ut  
 scis, manu conscriptum ad Doctorem Hiero-  
 nimum transmittas, is iam ad me facile il-  
 los porro remittet. Valetudo mea nihil sese  
 adhuc remittit, sub ver tamen spero feliciora  
 omnia siquidem Dominus volet, cui me to-  
 tum permitto, tu quid facias nescio, credo

Class. VI. Fasc. I.

H

*aedificiis variis & multis frequens, munitionibus &  
 portis ut oppidum, clausae, familiae Bernardinae;  
 Quanta illius fuerint opes, inde colligas, quod &  
 anno 1568. singulis annis illi solvendi fuerint sex mille  
 floreni, recens instituto tum temporis Groningensi  
 Episcopo, Johanni Knuyfio, referente Petro Borrio  
 in descr. Belgic. bell. p. 54. b. Abbas coenobii splen-  
 didas aedes tenebat Groningae, ubi nunc Domus  
 Indiae Occidentalis visitur. Memorabilis est histo-  
 ria, quae in hoc coenobio contigit a. 1520. quam  
 Eumius prolixerecenset Hist. Fris. L. L. p. 785. An-  
 no 1580. prid. Kal. Septembres splendidum hoc  
 aedificium a foederato milite, occupatum, & tre-  
 centis in eo Viris trucidatis, multaque praeda capta,  
 igni exustum esse, non sine literarum insigni da-  
 mno, quod ob bibliothecam, vetustaque docume-  
 ta in iis adservata passae sunt, referunt annalium Bel-  
 gicorum ac Frisiacorum conditores Winssemius,  
 Persius, Reidanus, alii. Lapidis diruti aedificii  
 exstruendis munitionibus urbis Groningensis deinde  
 inservierunt. T. d. H.*

tamen te non feriari, praesertim quod ad (b) conciones & praelectiones attinet. Optarim in omnibus monasteriis (c) tales esse ab-

(b) Scilicet, in hoc coenobio erudiendis monachis & habendis sacris concionibus tum vacasse, Hardenbergium (de quo magno viro & λεκτοῦν ἐν παρεργῶ, καὶ γὰρ οὐτ' αὖ καὶ διηγήσεως πρεπέστες ἐπερῶ) ibique a Lascio in suggesto auditum narrat Emmitis in Hist. Fris. L. LIX. p. 915. T. d. H.

(c) Sane tum temporis Adoardiense monasterium erat bonarum literarum pulcherrima officina, ex qua, tanquam ex equo Trojano praeclari viri prodierunt: Didici haec ex epistola Gosvini vel Josquini Halensis, quem Philippus Melanchthon in oratione de vita Rodolphi Agricolae senem vocavit pietate & gravitate excellentem, qui olim juvenis a ministerio fuit summi Viri Wesseli Gansfortii, Groningensis, olim lumen mundi dicti, & deinde Pater fuit monachorum in domo Fratrum Groningae. Hic in epistola ad Hardenbergium nostrum scripta, quam ipse adducit integram in vita Wesseli, ejus operibus praefixa talem in modum scribit. Deinde gratulor tibi & toti monasterio Advvertensi, cui spero honori eris, & pristinam eruditionem per te ac tui similes restitutum iri. Novi Advvertiam ante annos XL. & eo plures. Tum doctum Virum si quaesivisses, hunc in Advvert invenisses, aut alibi nusquam in tota Phrisia. Erat ea tempestate Advvert non tam monasterium, quam Academia. Horum mihi testes essent si superessent, Rodolphus Agricola, Wesselius Groningensis, Gulielmus Fredericus, Pastor, Johannes Oestendorpius, Rodolphus Langius, Monasteriensis, Paulus Pelantinus, Alexander Hegius, Johannes Canterus, Groningensis

bates, qui sic juventutem instituendam curent, quemadmodum id nunc pro te facit Abbas tuus, imo vero noster potius. Nam & ego eum hominis animum non possum non amare, ut interim de eius candore & integritate taceam, quam mihi in illo haud obscure videor perspexisse, tu quaeso fac me illi commendes, idque diligenter. Dabo operam ut

H 2

il-

Jacobi Pater, Poetae Laureati, & plures alii, qui ibi recensentur. In hoc quoque coenobio vixit Antonius Liber, de quo vide supra p. 808, 809. quem in altera epistola, quae ibi quoque legitur, idem Gosvvinus testatur *Advertenses suis suntibus aluisse in universitatibus, eumque factum esse Syndicum Campensem.* Inprimis ibi floruit docuitque Wesselus ille Groningensis, cujus jam mentio facta. Nonnulla commemoratione digna, quae ibi acciderunt illi, quaeque ab eo facta sunt idem Hardenbergius prope finem incitata ejus vitae descriptione enarrat: Adducam tantum haec ejus verba, ut quae ejus loci olim celebritas fuerit, cognoscas. *Erat autem Advverdia, quasi Academia quaedam, ad quam nobiles & docti ex tota Phrysa turmatim accurrebant, & multa multorum vestigia meo tempore exstabant. Conabatur Wesselus restituere veterem illam scholam Advverdensem, in quam solebant totius Phryssiae studiosi recipi. Erant scholae duae; altera erat intra septa coenobii. In ea adolescentes instituebantur primis literarum rudimentis. Altera erat ad pagum Bedum. In ea docti erant Professores, qui Juventutem in Philosophia & sacris literis erudiebant. Annales Advverdenses dicunt, ibi non aliqua aestate ad XC. studiosos cum aliquot Magistris esse mortuos, Et quae sequuntur. T. d. H.*

(d) illum adhuc & te simul invisam, praesensque hinc aduolem. Interim tu, mi Alberte, vale. Neque enim plura nunc, Emdae die mercurii post Dominica natalitia ad finem Anni 1540mi.

Nosti manam.

B.

Fratri in Domino dilectissimo

D. Alberto *Hardemburgo*,

Theologiae Doctori  
Adwardiae.

AD tua nunc non respondeo, Charissime mi Alberte, non quidem ullam aliam ob causam, nisi quod distringor quibusdam, quae me vix cibum etiam capere patiuntur, & quo-

(d) Quis hic Abbas fuerit non licet definire, pro certo. Oportet eum tamen fuisse vel Johannem *Rekenkampium*, quem inuenio Monasterio praefuisse circa a. 1554. vel Arnoldum *Lantium*, qui a. 1569. remotus est ab officio, cum Abbas Morimontensis in Burgundia visitandorum monasteriorum Bernardinae familiae causa, in has quoque oras venisset, inque ejus locum suffecisset Arnoldum *Kemmingium*, Abbatem monasterii *Termunten* propter Amisiam. Nisi forte quidam inter hos medius ea dignitate tum eminuit. T. d. H.

quoniam brevi apud te esse constitui in mutuum colloquium differenda mihi nostra omnia esse putavi, sed est quod priusquam ad te veniam scire ex te interea vellem; Memini te a me petiisse (ni fallor) cum tibi narra- rem me bina multorum autorum exemplaria habiturum esse tum Græca, tum Latina in sa- cris pariter ac profanis literis, ut ea tibi indica- rem te apud D. Abbatem tuum id curare vel- le, ut illa in tuum usum emeret, hoc itaque nunc abs te scire velim, an eo adhuc sis ani- mo, an vero non amplius illis egeas, mihi enim Francfordium nunc libri mei ex patria ad- vehentur; Quod si scirem tibi nullis opus esse, non esset cur illos huc paucis exceptis adferri curarem, sed illic potius juberem divendi, ne me frustra sumptu vecturæ non necessario onerarem. Id vero me nunc facere jam oportet. Quare te rogo facias me ea de re quamprimum certiore, Indicem librorum ad te mittam, vel ipse adferam, postquam animum mihi tuum significaveris. Vale & ne graueris mihi quamprimum respondere, ne diu animi pendeam. Dominus te servet, mi Alberte Charissime. Hic ajunt regem Fer- nandum a Turca his paucis diebus profliga- tum esse ac quatuor non amplius suis comita- tum, e prælio ægrum rediisse, ubi & fratri

(e) meo multum metuo, quem istic certum  
 H 3 est  
 (e) Intelligit Hieronymum LASCUM, quem Sleidanus  
 vo-

est etiam adfuisse, iterum vale. Synodum audita hac clade solutam esse ajunt, negociumque religionis in conventum ad Michaelis Coloniae institutum rejectum esse, qua parte nondum est transactum. Sed Ecius dicitur, quibus initio subscripserat, ea rursus omnia retractasse ac recantasse. *Æm. dæ nonis Augusti Anno 1541.*

Agnoscis manum tui,

C.

Doctissimo viro

D. Alberto Hardembergo,  
magnam Aduardiam.

Fratri observandissimo.

**E**Xpectabam hisce diebus, ut mihi ad ea quæ tibi nuper nunciaveram responderes mi Alberte, saltem ut intelligerem, quid

*vocat excellentis ingenii Vrum.* Hunc Ferdinandus ad Imperatorem Turcarum Solymannum a. 1540. miserat, sed ab hoc in vincula erat coniectus. Hinc metuit fratri suo Johannes, postquam Turca clade Ferdinando inflicta Pestam & Budam occupaverat. Sed in itinere, cum Byzantium rediret, incolumem illum Belgrado, ubi captivus hæserat, quo vellet ire, permisit. De illo orationem ab homine, ut vocat, ingenioso conscriptam edidit Philippus Melanchthon, quod me docet ejus epistola ad Lascum

quidnam animi super ea re haberes, nam si  
 eo esses animo, quo te ego esse vellem, in  
 hac re praesertim, tum facile de aliis transi-  
 geremus. Sed hoc primum necesse est, ut  
 sciam an velis ἐπιτιθεῖν καὶ μεταβαλλεῖσθαι,  
 nam ad manum habeo nuncium, per quem  
 me oportet jam significare summam rerum  
 omnium, illi, qui mea opera uti in hac parte  
 voluit. Quare te rogo ut me de animo tuo  
 facias certiore per hunc puerum &c. Vo-  
 lebam ad te mea perscribere omnia, sed Ger-  
 ardus, (f) civis noster, qui non ita pridem  
 rediit Viteberga, iuvenis sane & pius & do-  
 ctus, narravit mihi tuis verbis, te brevi ad

H 4 nos

scum nostrum scripta, quae legitur in ejus Epist.  
 Lugd. B. 1647. editis p. 321. in qua hunc magno  
 merito suo vocat *Virum illustrem, magnificum & re-  
 verendum, nobilitate generis, virtute & sapientiae  
 praestantem, Patronum suum colendum.* T. d. H.

(f) Intelligit Gerardum CAMP IUM, sive tom Camp.  
 Fuit hic ex ecclesiae Emdanae presbyteris, atque,  
 templi magni, olim Cosmae & Damiano consecra-  
 ti Newkop. Filius fuit Bernardi TerCamp,  
 praefecti arcis Emdanae, qui satellitibus nonnullis  
 armatis comitatus, Georgium Aportanum, primum  
 Ecclesiae Emdanae Evangelii purioris praeconem, in  
 suggestum sacrum publice frementibus Pontificiis  
 introduxit teste Ubbone Emnio Hist. Fris. L. LIII.  
 Hic Gerhardus Bibliothecam suam legando confisto-  
 rio Emdano, prima reipublicae Emdensis Biblio-  
 thecae fundamenta jecit, cujus memorabilia me-  
 cum se communicaturum esse proxime pollicitus est R.  
 & Doct. Vir Eil. Folc. Harkenrothius. T. d. H.

nos huc venturum esse in dies aliquot. Quare in tui aduentum differenda putavi omnia potius quam ut illa literis committerem. Jam melius valeo. Gratia Domino. Ridebis si audias, quid cum Episcopis nostris in patria (g) egerim. Prodibunt tamen in lucem brevi omnia, vale, & da operam, ut nos visere possis; Interim tamen scribe paucis & D. Abbatem tuum verbis meis saluta. Raptim Emdæ XII, May, Anno 1542.

Agnoscis manum,

D.

Doctissimo Viro

D. Alberto Hardenbergo,

Phrisio, Theologiæ Doctori, Argenti-  
næ commoranti, fratri in Domino  
observandissimo.

**I**ncommode accidit (mi) Alberte, vt cum omnium fere maxime occupatus essem, Gabriel hic noster ad nos venerit, neque diu hic moratus reditum ad vos accelerarit. Quare si vel ad te, vel ad Bucerum secus scribam, quam oportebat, imputabitis meis, quibus nunc distringor, occupationibus, vt ne vnam quidem vel brevissimam epistolam possim scribere, quin aliquoties interpeller. In

(g) Polonia.

In causa est nova magistratus nostri in sectas  
 severitas, ad Cæsaris mandatum instituta.  
 Confluebant huc sine numero sectarii prope-  
 modum omnis generis, simul atque eorum  
 persecutio in Hollandia exorta esset. Ea res  
 ad aulam Brabanticam delata, magnam nobis  
 illic (nec immerito) invidiam conflavit: ut  
 ad extremum videatur Cæsar interdicturus  
 nostris commercium prorsus omne cum suis,  
 si non patria hæc ab istiusmodi sectariis re-  
 purgaretur. Ea res visa est Epicuris nostris  
 formidabilior multo, quam Dei minæ magi-  
 stratus negligentiam percellentes. Itaque  
 quod repurgandam Dei Ecclesiam curæ suæ  
 commissam mitioribus consiliis aggredi nun-  
 quam voluerunt, id nunc metu Cæsaris orsi  
 sunt. Proscribunt (si Deo placet) sectas,  
 non propter Deum, sed propter Cæsarem.  
 Et quod antea mitioribus consiliis egisse po-  
 terant, id nunc tanta severitate prosequuntur,  
 ut sublato nocentium atque innocentium di-  
 scrimine in peregrinos omnes sæviant. Hu-  
 jus rei ego Principem nostram admonui: &  
 rogavi, ut discrimen aliquod haberetur inter  
 sectis obnoxios, & quos certum esset, ab  
 illis immunes esse. Etsi ita jam constitutum  
 esset, ut sectæ hinc pellantur, innocentes in-  
 terim a nocentibus discernentur: Sic fa-  
 ctum est, ut de quorum fide nos testimo-  
 nium daremus, hi jus manendi inter nos ha-  
 beant. Obruor itaque nunc frequentia eo-

rum, qui a nobis testimonia fidei suæ petunt, ne exigantur. Et sunt plerique nobis ignoti, ut nos multis agere cum illis oporteat, priusquam de illis testificari possimus. Non possum igitur nunc, ut vellem scribere: scribam tamen ex intervallis ut possum. Meditamur nunc quandam disciplinam in nostra hac Ecclesia, cui omnes fere hactenus manibus (quod dicitur,) ac pedibus restiterunt, qui me adjuvare potissimum debebant. Dicebam nunquam fore, ut sectis careamus, si dum in alios severi sumus, in vitiis iis ipsi nostris indulgeamus. Quæ cum inter nos regnaret, statuendum etiam nobis esse discrimen in nostra Ecclesia, dum ita in alios severi sumus, inter eos, qui sese ad resipiscentiam nolunt componere: & qui Dei Ecclesiam, ejusque disciplinam contemnunt. Breviter, post multos clamores id tandem effeci, ut nobis ministris adjuncti sint quatuor cives, viri alioquin graves, & quantum indicare possumus, pietatis studiosi, qui a tota Ecclesia potestatem nobiscum habeant in mores civium inquirendi, admonendi quenquam sui officii: & ad extremum etiam (nomine totius Ecclesiae) excommunicandi nobiscum, si quos admonitionum nostrarum contemptores haberemus. Meditamur itaque nunc formam quandam disciplinæ in nostra Ecclesia; in qua constituenda magno nobis erit adiumento Episcopi tui Coloniensis.

nienſis (h) ordinatio, quam mihi is Gabriel attulit tuo nomine. Si tulerint noſtri diſciplinam juxta verbum Dei, habebunt me miniſtrum ſuum: Sin minus tum fortassis & me propellent. Ego enim nulli ſciens & volens parcam: Et ut ſunt *ἀντιπροσώπων* fere, vereor, ne me non diu ſint laturi. Ego vero id Domino totum permitto, illumque oro, vt miniſterium meum dirigat ad nominis ſancti ſui gloriam, & Eccleſiæ ſuæ ædificationem. Vocor, mi Alberte, & quidem magnis precibus, a Pruffiæ Duce (i) homine & pio & nobis jam dudum amico: ternas jam ab illo ſuper ea re literas accepi: nihil tamen polliceri illi potui, præterquam ſi hinc propellar. Volebat, ut illi mitterem doctrinæ veræ epitomen, miſi per Egidium uxoris meæ fratrem, qui ad nos pridem totus commigravit: ejusque reditum

(h) *Hermannum* intelligit à WEDA, Archiepiſcopum & electorem Colonienſem, Friderici II, Epifcopi Monafterienſis Fratrem, magnum emendationis eccleſiarum Fautorem, & promotorem, cujus aliquando a Concionibus fuit Hardenbergius. Narrat id Joannes Molanus in Epitaphio honori Hardenbergii dicato;

*Quumque ſacris operans Hermannus Praeſul avitas,  
Fundaret ſolidum religionis opus.*

*Ille huic impoſita firmans praecordia dextra,*

*Vade, ait, & Chriſto Praeſide magna gere &c.*

T. d. H.

(i) *Albertum* innuit Brandenburgicum, qui primus poſtea Ducatum Pruffiæ in familiam ſuam jure hereditario intulit. T. d. H.

tum indies jam a duce expecto. Bucerus me hortatus est, ut me conferrem ad Coloniensem tuum, vel ut venirem ad vos, si hic mihi locus non esset. Ego vero (mi Alberte) etiamsi hinc propellerer, non video, cui usui vel istic, vel apud Episcopum essem futurus, praesertim cum lingua hac docere non possim. Deinde, si impar es obeundo illi apud Episcopum muneri, quemadmodum scribis, quid hic ego de me obsecro cogitarem? Postremo nosti libertatem meam, ea nunc non ubivis locum habet: quam ego tamen omnium maximam inter Evangelicos doctores extare debere puto. Sed hinc nondum propellor, etiamsi non multum absit quin propellar; nisi quod Principem (k) mihi faventem, habeo quæ ut est pia plane & Christiana fœmina, ita me, ne se deseram, rogat. Vellet illa quidem nobis adiumento esse in restituendis Ecclesiis, sed ut est fœmina, ita aliorum consiliis regitur, quos sibi in administratione reipub. adjunctos habet. His vero nihil minus cordi est, quam religio, & sine legibus vivere assueti, ne nomen quidem disciplinae ferunt. Si hinc pellerer, & certus essem te apud episcopum

VO-

(k) *Annam*, Oldenburgicam, Johannis XV. & Christophori & Antonii I. Comitum Oldenburgicorum sororem, viduam Ennonis II. comitis Orientalis Frisiae, omnium Comitum ac Principum, qui hanc regionem tenuerunt, tenentque etiamnum, Matrem, felicissimae recordationis. T. d. H.

vocationem habiturum esse, ad cuius societatem & ipse vocarer: non abnuerem venire, ut tu doceres, ego vero tibi adiumento essem. Præsertim si me a duce Prussia liberare possem: in quo alioqui non nihil adhuc desidero, quod equidem testari illum oporteret, si me habere vellet. Mei mihi in patria jam nuncium remiserunt amicitiaë omnis & consuetudinis, ut nihil illinc mihi amplius sit sperandum. Sed ego Deum patrem habeo, qui me elegit, is me non deseret, etiamsi a meis omnibus destituar: Tametsi plura mihi jam dederit, quam ut de inopia queri possim. Nescio quid significes sub verbo *καμπανίζειν* (1) nam hujus nihil

(1) Non dubito, quin haec vox ei notaverit *ferociter, superbe, atque arroganter agere*. Campaniae enim incolae ob soli ubertatem, vini præstantiam atque alia vitae commoda, quibus affuebant, unde summum ibi esse dicebant *Liberi Patris cum Cerere certamen*, valde inflati atque insolentes erant. Hoc iis exprobrat Cicero in Or. de lege Agr. I. §. 6. *Capuam deduci colonos volunt, qui locus propter ubertatem agrorum, abundantiamque rerum omnium SUPERBIAM & crudelitatem genuisse dicitur & paulo post, superbiam natam inibi (Capuae) ex Campanorum fastidio videtur*. Idem Or. II. §. 33. *CAMPANAE ARROGANTIAE atque intolerandae ferociae*, & §. 34. *CAMPANI SVPERCILLI* meminit, & §. 35. *Campanos semper superbos bonitate agrorum & fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine commemorat*. Ita in Or. post red. ad Sen. §. 7. *Capuae, quae caput erat Campaniae, domicilium quoddam SUPERBIAE* fuisse ait. Val.

hil haftenus vidi. Sed scio (m) Mennonem  
 versari nunc potissimum in episcopatu Colo-  
 niensi, & fucum facere multis. Promisso nu-  
 per *Doctissimo Domino Doctore & M. N. Mur-*  
*man super sentimentum abmissimae universitatis de vil-*  
*la Parisiis* habeo tibi magnam gratiam, qui mi-  
 hi hoc nomine gratissimus est etiam, quod sit  
 è bibliotheca Jo. Oecolampadii: cujus ego me-  
 moriam summa cum veneratione prosequi  
 semper soleo ob singularem illius, cum vive-  
 ret, simplicitatem & pietatem: taceo erudi-  
 tionem, nam manifesta illius documenta in  
 scriptis habemus. Vellem, mi Alberte, ut  
 illius opera, quae ego non habeam, mihi  
 omnia curare velis. Habeo illius Epistolas,  
 Esaiam, Danielem, Demegorias, Plegmata  
 Chrysoft.

Val. Max. L. IX. c. 5. *Insolentiae inter Carthaginensem*  
*& Campanum Senatum quandam quasi aemulationem*  
*fuisse* testatur Val. Max. L. IX. c. 5. Ita A. Gellius  
 L. I. c. 9. epigramma Naevii plenum vocat *su-*  
*perbiae Campanae*. Vide quoque Liv. L. I. dec. 9. &  
 L. III. c. 5. & Adagiorum scriptores. Atque ex his  
 quidem quid illa sibi voce voluerit Hardenbergius,  
 Vir literarum, quibus ab humanitate nomen inditum  
 est, peritissimus, dispalescit. Alias *καμψανίζειν*  
 ferioris aevi scriptoribus est *σαδμίζειν*, *librare*,  
*ponderare*, Vide Gloss. Meurfii p. 210. & Du Cangij  
 p. 566. *Καμψαν* enim dicebatur libra vel state-  
 ra, unde *Καμψανον*, pecunia, quae pro pondera-  
 tione solvebatur, *Waaggeld*. T. d. H.

(m) *Mennonem* intelligit *Simonis*, Anabaptistarum Pa-  
 trem, cujus nomen illi sectae adhaeret etiamnum.

Chrysoft. cum ipsis annot. Et quæ in Bir-  
cheimerum Noribergensem scripsit. Tu jam  
considera, quæ mihi desint. Maxime autem  
habere cuperem in reliquos Prophetas, & Jo-  
annem. Quare fac quæso ut habeam, Fran-  
cofordiæ sub mercatum. Præterea Calvinii  
postremam institutionem, & si quid præterea  
novi emisit. Reddi hæc poterunt Hadriano  
hospiti meo, ut is deînum ad me transmittat.  
De Abbate tuo utinam te spes tua non fallat :  
ego, ut verum fatear, metuo, ne in eo quod  
apud eum agis, operam ludas. Scio esse me-  
liorem quam pro Monacho, sed non facile  
avellemur ab ollis Ægyptiis, præsertim si de-  
serti solitudinem (quod nobis metuendum  
est) ob oculos propositam habeamus. Et ta-  
men ego faciam, quod petis, scribam ad illum  
diligenter plusculum otii nactus. Sed ut di-  
cam quod sentio, vereor, ne nihil agamus.  
Utinam autem fallar. (n) *Hallo* adfuit mihi  
brevis, huic indicavi, tibi non probari, quod  
illic adhuc hæreat, suasque ut se huc conferat.  
Si venerit, habebit apud nos bonam conditio-  
nem. Adfuit mihi & *Franciscus* quidam cum  
cru-

(n) Nomen illi fuit *Halo Amfvirus*. Luthero & Me-  
lanchthoni fuit percarus, quibus operam dedit Wi-  
tebergæ a. 1545, ut ex epistola constat Casparis  
Crucigeri, qua eum ad Lascum redeuntem comi-  
tatus est, & qua illi testimonium eximiae pro-  
bitatis ac studii, doctrinae & pietatis impertiit. Ex-  
stat illa in collectione Gabbemæ L. I. ep. 21.  
T. d. H.

cruce alba, Rhodiani ordinis illum esse opinor, sed mihi, si verum fatear, non prorsus placuit hominis ingenium. Videtur fidem conjugii dedisse Catharinæ, quæ est in Drusillæ contubernio. Ab hac nihil jam dudum accepi. Vellem, mi Alberte, te jam aliquo certo loco esse, certamque jam vocationem sequi. Nam longæ istæ deliberationes varie afficiunt homines, & multas actiones remorantur. Si tibi non est animus esse apud Episcopum Colonensem, & inter tuos malis: quin hic accipis conditionem apud nos, fiasque collega meus, hinc facile cum tuis polles omnia agere. Et si fructum quæras, nusquam, mea sententia, majorem facere posses. Si hinc esse nolis, statue semel, ubi esse velis, ut certam vocationem sequi possis. Mi Alberte, vereor ne hoc magis stulti reperiamur in iudicio Dei, quo magis sapientes esse volumus. Da quæso veniam libertati meæ & amori meo imputa, qui me cogit, quod sentio, dicere. Franciscus Rengers nihil mihi tuo nomine numeravit: sed ego nihilominus tibi mitto viginti taleros: nam ad manum plures non habeo. Calculum subducemus rerum omnium, ubi ad nos veneris. Si te divitem videro, tum repetam a te, quæ debes. Sin minus, tum etiam addam plura, ut qui tibi dudum communionem detulerim rerum mearum omnium. In cujus possessione te esse statuere certe debes, ubi ubi fueris. Respon-

sponſionem, quam adverſus Colonienſem una cum Bucero adornatis, ſac ut habeam. Petrus (o) *Medmannus* erit nobis gratiſſimus hoſpes, ſi ad nos veniat, & vellem, ut veniret: multa enim de hominis integritate audivi. Veſtes tuæ excutiuntur ſæpenumero, ut non putem eſſe a tineis periculum, præterquam quod tibialia jam arrodere cœperant, ſed ruruſum excuſſæ ſunt. Ego vero reliquam ejus cucul-

Clasſ. VI. Faſc. I. I Iæ

(o) Petrus *Medmannus*, Colonienſis Hermanno illi Colonienſi fuit a conſiliis; & rem reformationis promovit ſtrenue, Luthero, Melanchthone, Bucero, Petro Martyre, Alberto Hardenbergio, Joachimo Camerario uſus perquam familiariter. A. 1539. ab Electore Colonienſi miſſus eſt Francofurtum, ubi tum agebat Melanchthon conventus Evangelicorum cauſa, ut eum ad ſe Bonnam deduceret. Id quod & factum eſt. Deinde ſeceſſit Emdam, ibique Annae principis & Chriſtophori Oldenburgici gratia fruens ad urbis conſulatum evectus eſt. In *συλλογῶν* epistoſarum a Simone Abbes Gabbema edita exſtant ad eum complures epistoſae Laſcii, Camerarii, & Melanchthonis, a quo vir vocatur *Virtute, ſapientia, dignitate, eruditione, & prudentia præſtans, ut & egregia eruditione, virtute ac fide præditus Vir.* Idem in epistoſa ad Hermannum Colon. quæ exſtat L. III. ep. 38. in iis, quæ Loudini editæ ſunt, ſcribit, eum propter eruditionem, pietatem, ſacundiam, & optimos mores Electori quoque probari. Uti & Joachimus Camerarius in vita Melanchthonis p. m. 205. eum appellat *pietate & virtute, atque eruditione doctrinae præſtantem Virum.* Bucerus in tract. de concilio, a. 1545. edito pariter ei elogium *Viri optimi & doctiſſimi* tribuit. T. d. H.

læ tuæ partem (cujus manicam ad te Witebergam miseram) in usum meum accepi, rediturus rursus. Annulum qui adhuc apud nos erat ad te mitto ut volebas. Pro sanctis Bibliis scribam ad *Caronem*, ut jubes. Ad tuos, quorum nomina literis inseruisti, scribam multo libentissime; utinam illis, quod suadebo, persuadere possim. *Schwencfeldii* nihil vidi hæctenus, nihil mirum autem exoriri nunc talia monstra: cum extrema sint tempora, in quibus armatus ille, & potens (dum sentit potentioris aduentum jam instare, extremum (quod dicitur,) conatum edat, ad regnum suum tuendum adversus potentioris potentiam. Dolendum est tamen seduci tam multos. Sed hæc est ingratitude nostræ pœna, ut mendaciis eredamus facile, qui veritati credere nolumus. Mitto tibi exemplar postremæ meæ ad (p) Davidem epistolæ. Postea nihil ab illo accepi: & fortassis non accipiam amplius quicquam, præsertim si hinc suos pelli audiat. Ostendit mihi Gabriel nosster loca, ex quibus ille doctrinam suam colligere videtur. Sed nos hic plura habemus, nisi quod ego de iis cum Gabriele liberum colloquium habere non potui, quod latine nesciat. Breviter David vult se agnosci Emanuelem a prophetis præmissum: hoc est, per se id fieri

(p) Davidem Georgii, s. Joris intelligit, famosum illum sectarium, qui Lascio multum facessivit negotii.

fieri jam, & indies fore magis, ut nobiscum sit Deus. Hanc blasphemiam, qui ferre non potuimus, animos suorum a nobis alienatos esse videmus. Plura ad nundinas Francofurdienses a nobis expecta. Et vale. Mi Alberte, si eges, scribe ad me audacter: partiar tecum libenter, quae Dominus mihi dedit, neque existimes me per te gravatum iri. Iterum vale. Et semel statue, ubi esse velis. Mihi videtur animus meus praesagire, me hic diu non esse mansurum. Neque enim puto laturus istos meam reprehensionem, multo minus disciplinam. Et proinde quaesituros occasionem, ut me hinc propellant. Tentarunt id nuper per comitem Joannem: nam hoc mihi comes ipse narravit, posteaquam secum in gratiam rediissem. Et non mutabunt suum ingenium, quantum ego indicare possum. Quare si animus tibi non sit esse apud episcopum Coloniensem, fac mecum in Prussiam concedas, aut etiam sine me, siquidem mihi manendum sit. Dabo operam ut illic habeas honestam conditionem. Si autem causam non habes, cur episcopo Coloniensi tuam deneges operam, fac te illi addicas: & pro tua virili Christi illic Ecclesiae servias. Si hic mihi non sit locus, ipse ad te venire curabo. Vale iterum: & semel statue. Aut si mecum hic esse velis, veni. Embd. postridie Jacobi. Anno 1544.

D. Alberto Hardenburgo,

Theol. Doct. Fratri & amico  
observando.

**O**Rdiar nunc ad te ab eo (mi Alberte) quod nuper mihi per imprudentiam contigit. Annulum quem me tibi per Gabrielem misisse scripseram, hunc illi imprudens non dedissem enim plurimis occupatus, & ille non literis acceptis Groningam abierat. Sic ego literas postea ad illum, sed sine annulo transmissi. Dabis itaque veniam; dabit & ille, in quem magis, quam in te peccavi. Nunc eum ipsum annulum per Joannem fratrem Francofordiam mitto, ut illinc ad te per Rigelium typographum perferatur. Post abitum Gabrielis, novam hic mihi tragædiam Comes Joannis excitare voluit, ab iis haud dubie instigatus, qui meam hic in vicis suis reprehendendis libertatem ægerrime ferunt. Miserat huc Doctorem illum *Ennium*, ut is eum Principe nostra Reginae mandato ageret de me hinc propellendo, propterea quod apud Reginam perjurii & turbulentia nescio cujus accusatus essem. Ego per Principem vocatus publice illi, & omnibus ordinibus meam innocentiam approbavi, sic ut sibi satisfactum testarentur. Responditque Princeps Comiti Joanni, se non posse me carere, & a me etiam

etiam petiit, ne istiusmodi calumniis move-  
 rer, atque apud se nihilominus manerem.  
 Cui & promisi. Sed certo scio fucos nostros  
 non prius conquieturos, quam id efficiant, ut  
 hinc propellar. Ego vero facile id patiar: &  
 si propellar, faciam quemadmodum ad te pro-  
 ximis literis meis scripsi. In vetere tuo ami-  
 co non scio an quid reprehendere merito  
 possim, quod præsertim ad illius cunctationem  
 attinet, quo minus se hæctenus ad nos contu-  
 lerit. Scripsit ad me epistolam excusatoriam,  
 & tua æque, atque sua culpa id factum esse  
 ait: quod varie semper ad eum super ea re  
 scripsisses; & jam suasisses ut ad vos veniret,  
 jam vero libertatem ei faciendi, quod vellet,  
 permisisses, nonnunquam suasisses etiam ut  
 in suo loco maneret, donec evocaretur. Ad-  
 didit te pollicitum, ut ad eum transmitteres,  
 quæ ad probandam, improbandamve illorum  
 religionem ex Doctorum colloquiis collecturus  
 eras, ut ea majoribus suis ostenderet: id se  
 expectasse, & nunquam accepisse. Hæc si  
 vera sunt, extra culpam est profecto, quod  
 tam diu loco illo suo hæserit: neque æquum  
 putarem, ut illi nuncium remitteres. Ego  
 orsus sum Ecclesiarum Visitationem: & in ipso  
 mox initio plurima monstra reperi. Hæc qui-  
 dam conantur defendere, ut functionem im-  
 pediant: sed ego nihilominus pergo. Men-  
 nonitæ prioribus suis erroribus hunc etiam  
 addiderunt jam, ut dicant, legi per nos no-

stra obedientia satisfieri non solum posse, sed etiam oportere. Sic errores erroribus cumulant & Christi gloriam obscurant. Ante duos menses miseram ad Prussiae Ducem uxoris meae fratrem Egidium, is in reditu correptus morbo nescio quo, Bremæ decumbit, ut nondum scire possim, quid referat. Scripseram autem, ad Ducem me hoc ministerium meum ponere non posse, nisi propellar. Si vero propellerer (quod equidem expectarem potius, quam mihi longam hic moram pollicerer) tum me non detrectare ministerium apud ipsum, si viderem illum ita affectum esse, ut non habita hominum ullorum ratione verbi se Divini obedientiae in gubernanda Ecclesia subicere sine exceptione velit. Præterea si mihi potestatem faceret; ponendi ministerium, quod apud illum suscepturus essem, si quando in patriam meam a Rege meo ad legitimum, & Christianum Ecclesiae ministerium vocarer. Reliqua omnia me arbitrio suo relinquere. Transmissi etiam ad illum doctrinae meae summam potissimum de Sacramentis, ne quid illum celerem. Ad ea nunc omnia responsum in horas expecto. Scio autem apud illum regnare Capernaitas. (pp) Et proinde fieri posse puto, ut facile me illinc sim liberatus.

(pp) Non mihi licet documenta prioris aevi, quae mea opera eduntur, mutilare. Alias ejusmodi tituli, qui cuiquam invidiam excitare queant, hinc loci sane non apparent. T. d. H.

turus : nam illis ego assentiri non possum. Cum igitur certo propemodum videam, me hic diu permansurum non esse: Intelligam item ægre mihi cū Prussis in doctrina conveniri posse (etiamsi id affirmare adhuc non queam) non ita multum abesse puto, quin tecum esse possim: præsertim si duæ illæ conditiones Duci Prussæ propositæ a nostris recipiantur. Mitto ad te doctrinæ meæ Epitomen, ut a Bucer, & aliis istic excutiatur. Ubi eam Bucerus legerit, tum vellem, ut ad Bullingerum quoque transmitteretur per Gerardum nostrum. Demum vero, ut Philippo quoque exhibeatur. Audio tuum, & Buceri ad Episcopum Colonensem adventum apud illum expectari. Venirem eo ad vos, si scirem certo. Quare si ita est, fac ut sciam quæso, & vel per proprium nuncium mihi indica, quo, & quando mihi ad vos. Neque plura nunc. Vale. Embdæ ultima August. Anno 1544.

Post scriptas literas accepi literas a Duce Prussæ, qui se per proprium nuncium suum ad mea mihi responsurum esse scribit. Alii tamen omnes, qui apud illum sunt, scribunt summam esse illic barbariem, & Luthero papismum: Ut non magnopere optandum mihi sit illic esse.

*Doctissimo Viro*

Dn. Alberto Hardeburgo,  
Theologo Illustrissimi Principis Ele-  
ctoris Coloniensis & Pastori Ecclesiæ  
Jesu Christi, fratri & amico  
observantissimo.

**H**Eus tu bone Vir. Itane memor es nostri,  
ut Dominum in Cnypens sine tuis ad me  
literis venire passus sis, quid hic causaberis?  
quid excusabis? tuas occupationes? illius fe-  
stinationem? vulgaria hæc; morbum? at ille  
te recte valuisse narravit. Sed est quod excu-  
ses: putasse te, me, non hic jam, sed in Prus-  
sia esse. Ad vero & in Prussia literæ hinc ad  
me transmitti poterant: quæ mihi non minus  
illic, quam hic gratæ futuræ erant. Præte-  
res animi perturbationem propter amici il-  
lius tui inconstantiam? At ego hic tibi gratu-  
landum potius censeo, quam ut te eo nomine  
perturbari putem. Præstat, mi Alberte, divul-  
sum esse, quod vix bene cohærere poterat, si  
ita connexum fuisset, ut divelli deinceps non  
posset. Ego sane hic tibi gratulor, tantum  
abest ut doleam. Habet adhuc sua apud nos  
propemodum omnia, tantum repetiit quæ-  
dam, ut reditus ad nos sui suspensionem animis  
suorum eximeret. Sed tum an de reditu  
cogi-

cogitet, nihil certi habeo. Et posteaquam ille ad me scribere desiit, ego etiam apud eum sum mutus. Porro quod ad me attinet, ego (gratia Domino Deo) visum rursus recepi, quem paulominus amiseram ex morbo oculorum. A scriptis postremo meis ad te literis neque legere neque scribere quidquam omnino potui. Ante dies octo visus rediit, sed velut per nebulam; itaque additis perspicillis cœpi legere, initio literæ ipsæ videbantur mihi in formicas errabundas verti, sed tum postea expeditus legebam. Deinde & scribebam quoque per perspicillum, sed paucula, & inæqualibus literis. Jam vero eo est ventum beneficio Dei, ut & sine perspicillis legere ac scribere rursus cœperim. Sed ex intervallis & legere & scribere adhuc omnino cogor. *Επισκοπήν* depositam nondum resumsi, neque resumam: nisi aliam rerum faciem videam. De Pastoris munere heri dixi Principi, si me velit esse pastorem, ut mihi permittat templi nostri plenam & omnem gubernationem. Aut, si hanc nolit, aut non possit permittere: me etiam in eo templo, in quo mihi gubernatio non permetteretur, non esse usurum deinceps meo ministerio. Jam eras aut perendie mihi respondere debet, qualenam sim responsum habiturus nescio: sed quale quale erit, ego nullis amplius pollicitationibus capiar. Si utroque pede sequi Dominum volent: libenter illis serviam pro virili mea. Sin minus?

alium sibi ministrum quærant oportet, qui illis pullos conservet. A me non est quod hoc expectent. Dominus auxit rursùm familiam nostram pulcherrimò filio, ante octavum decimum diem. Cætera bene habent etiam. Si frater meus mihi significaverit, se circiter Jo. Baptistæ, velle venire ad Ducem Prusiæ, tum eo proficiscar, si Dominus volet. Expecto autem responsum ad Pentecosten. Si non erit proficiscendum in Prusiam, tum vos forte sub Nundinas Francofordienses visam: Plura nunc non habeo. Vale. Salutant te collegæ mei omnes. Salutat te, & mea, & Haltetia. Tu etiam verbis meis omnes istic nostros salutabis. Emdæ 16. Maji Anno 1546.

G.

*Domino*

Doctori Alberto *Hardenburgio*,  
Theologo ad manus proprias.

**T**Estabitur tibi Doctor hic noster *Westerburgius*, quam nunc sim occupatus; Hoc triduum totum scripsi ad tuum, imo ad meum potius communem principem, sed interruptis vicibus, unde nec ordinem in scribendo potui retinere. Hodie totus dies mihi impendendus erat in scribendas in Prusiam literas, ita vix licuit has ad te scribere. Argumentum epistolæ meæ ad Episcopum tibi narrabit Doctor *We-*

Westerburgius, optarim profecto unanimem doctrinæ consensum per omnes ecclesias, neque omnino diffido eum induci posse, si docti, quemadmodum ad Episcopum scribo, convenirent. Libenter ad te transmissem exemplum epistolæ, sed non habebam qui exscriberet: proinde Jacobum abs te expecto. Nunc recte gratia Dei valeo, cum meis omnibus. Et Dominus dedit mihi nuper pulcherrimum filium. Hunc nondum baptizavi, expectans, ut venires, quemadmodum scribebas. Sed jam dum non venis, baptizabitur, eritque Paulus, atque utinam Pauli sequatur vestigia: sed Tharsensis illius, non ejus qui nunc Romæ in cathedra Sathanæ residet. Hic, mi Alberte, Episcopi munus rursus suscepi impellentibus me, & fratribus & Principe ipsa. Statutum est, ut deponantur omnes pastores quicumque consensum doctrinæ observare nolint. Idola etiam nostra tolli jam debent. Habes nostra. De rebus tuis egit mecum Dominus in Cnyphusen. Et addidit se tibi curare velle sociam; percontanti mihi quæram ea esset. Respondit esse uxoris suæ puellam familiarem, seque de illa tecum verba habuisse, neque te admodum reluctatum esse. Quod si eo sis animo; Et intelligeres tibi integrum esse te huc transferre, si voceris, tum se ejus rei curam in se recepturum esse spondit. Itaque tuum erit aut illi aut mihi animum in hac parte tuum significare. De  
ve-

vetere amico tuo, ponas omnino, mi Alber-  
te, omnem cogitationem. Non possem tibi  
autor esse prosequendi cum illo negotii, et-  
iam si posset succedere. Dictum puta. Si  
Episcopus aliquid cogitabit, de instituendo  
istiusmodi Doctorum coetu, quemadmodum  
ad illum scribo: non gravaberis nos ea de re  
facere certiores. Et Episcopum etiam ipsum  
urgere. Præterea causam hujus nostri Do-  
ctoris Westerburgii commendes quæso Epi-  
scopo & suis, quantum potes. Plura non pos-  
sum. Vale. Emdæ 15. Januarii Anno  
1546.

H.

*Doctissimo Viro*

**Dn. Alberto Hardemburgo,**  
Theologo Doctori fratri & amico  
observantissimo.

S. P.

**P**ostquam relatu quorundam accepi, te  
nunc Bremam ad Comitem Christopho-  
rum, (q) mi Domine Alberte, venisse mul-  
tis

(q) Innuit Christophorum, ex Oldenburgiacis Comit.  
Canonicum Coloniensem & Bremensem, cui Comitatus  
Oldenburgensis emendata sacra sua potissimum de-  
bet. De illo Johannes Molanus in epitaphio Har-  
demburgi.

*Mox*

tis de causis, visum est meas ad te dare literas. Et primum quidem in causa fuit, cum ad te scriberem, veteris amici tui necessitas, qui mecum sæpius egit per literas ut ipsius nomine ad te scriberem, & mentem tuam quid potissimum ipsi censes faciendum, expiscarer. Cum enim feceras illi spem adventus tui, mirum in modum angitur, quid potissimum obstiterit, quo minus promissis steteris & ipsius negocium tua opera hactenus promoveris. Aliud erat, in causa ministerii mei, ita sæpius ex literis meis intellexisti. Cum enim videam (Deo ita gubernante) me propter adversam valetudinem, huic muneri satisfacere non posse & tu per principem nostram ad hoc vocatus sis, rogo ut per eum ipsum nuntium, qui tibi has nomine meo reddet literas, animum tuum quid facere constitueris

*Mox hunc Christophorus, Comes invictissimus armis,  
Induxit templis, incluta Brema, tuis.*

Et hic idem ille est, qui deinde Hardembergium, quod ubiquitisticis dogmatibus nollet subscribere, Bremam ejectum, excepit in cœnobio Rastediensi, fovitque perbenigne. Ita enim de eo iterum canit *Adolanus.*

*Illic (Bremæ) Caucasæe volucres, gens dira, cruentis  
Magnificum rostris comminvere Virum.*

*Donec in exilium urbs ingrata reliquit euntem,  
Sæpe professa Patrem, non habitura Pavem,  
Excepit pulsum COMES, & dum fata tulerunt,  
Officiis fovit, proque Parente fuit. T. d. H.*

ris, nobis indices. Res enim, ut fatear ingenue, moram non patitur. Nam non humanum, sed Dei ministerium est. Tu itaque, mi humanissime Alberte, quamprimum sententiam tuam nobis perscribas, & meam hac in parte molestiam tuis literis subleves. Cæterum intellexi quoque te Brunsvigæ apud clarissimum Melanchthonem nostrum fuisse, & cum eo de rebus multis & gravibus contulisse, quod equidem libenter audio, estque mihi res hæc ita grata, ut verbis consequi non valeam. Vellem tamen, Alberte mi, ut cum non ita procul absis a Philippo ad illum nomine meo iterum excurras, ac illi si commode fieri posset persuadeas, ut huc ad nos paululum concederet, fieri enim posse, ut ipsi & familiæ ipsius in hoc exilio, (r) & rerum omnium perturbatione consulatur. Ego si quodammodo per valetudinem licuisset, ipse libenter ad eum concessissem, & ipsius dulcissimo conspectu & colloquio me recreassem, quia vero ipsemet spem aliquam fecerat nobis per literas adventus huc sui, persuadeas, mi frater, homini, te multum oro, ut ad nos veniat, quod te pro tua in me humanitate & in Ecclesiam Christi singulari studio facturum haud dubito. Rem sane te dignam, & omnibus piis pernecessariam oppido facturum. Quod reliquum est Deus pater Domini nostri Jesu

(r) Melanchthon in illo exilio fuit, cum Witteberga a Caesare Carolo occupata esset.

Jesu Christi conservet te diutissime propter  
Ecclesiae aedificationem incolumem. Vale.  
Emdæ Frisorum VII. die Mensis Junii Anno  
Domini MDXLVII.

Joannes a Lasco,  
manu languida.

I.

**P**ER Westerburgum scripseram ad vestrum  
Principem. Vereor ne mordacimum  
aceto aures perluerim. Sed nihil moror, mi  
Alberte. Si se ipsum sui que ministerii functio-  
nem agnoscere vere velit Princeps vester,  
intelliget me vera sibi & dixisse semper &  
nunc etiam per Westerburgum scripsisse, et-  
iamsi non in tempore scripserim. Non est  
meum scire, multo minus divinare, quid  
agat, aut moliatur Cæsar. Sed quod ve-  
stro Principi suadeo, hoc puto ad illius offi-  
cium proprie pertinere, si quæ & Principis  
& Episcopi Christiani sunt ad se pertinere pu-  
tat. Et existimavi debiti mei esse, ut a quo  
sensi beneficium, quod equidem magnifice  
agnosco, ei rursus, pro mea tenuitate, qua  
parte id mihi licere intelligerem, admoniti-  
uncula aliqua subservirem. Ut ut sit, feci,  
quod meum erat, reliqua Domino permitto.  
Sed Westerburgum miror, & Albartum,  
quod nihil ad nos scribant. Hic mihi novum  
est cum Caparnaitis certamen. Colliguntur-  
que

que adversus nos consilia Bremæ, Hamburgæ, Brunsvigæ, & quam primo loco nominare debebam, Wittebergæ. Quid hic futurum credis? Ego ne Hercules ille, non solum adversus duos jam, ut vides, sed adversus tot, tam celebria nomina? *Sed est invicta veritas, neque cedit humane sapientiæ, etiamsi fractus illabatur orbis.* Bucerus nondum mihi respondit, vereor ne & is offensus sit libertate meâ, quanquam hoc initio inter nos pacti sumus, ut alter apud alterum sua uteretur libertate, citra ullum offendiculum: citraque jacturam amoris mutui & charitatis Christianæ. Quod si scirem, non æquo animo laturum esse Bucerum, nostram libertatem. Caverem omnino deinceps, ne quid ejusmodi ad illum scriberem, quo offendi posset. Ego enim tanti non facio dissidium hoc de elementis Sacramentorum, posteaquâ de mysteriis convenit, ut propter elementa scindi velim societatem & charitatem Christianam. Mysterium porro omnium summum in cœna esse puto, communionem corporis & sanguinis Christi; In hoc vero nullum usque dissidium video. Omnes enim ingenue fatemur, nos in cœna, vero Christi corpori & sanguini, vere etiam communicare: quicumque verbo illius credimus. *Quod jam (s) attinet, quo*

(s) Aurea hæc verba sunt, & quantivis pretii, quæ his quidem diebus satis inculcari ac repeti nequeunt.

quo modo id fiat, anxie & curiose disquirere, atque hoc nomine turbas in Ecclesia non necessarias excitare? quam alioqui satis affligi & perturbari ab hostibus nostris videmus. Excitent eas, qui volunt, me illarum socium non habebunt. Mihi ea corporis & sanguinis Christi manducatio satis est, quam Dominus ipse ore suo nobis ad salutem nostram satis esse testatur dum illi addit vitæ æternæ promissionem non facta interim mentione ullius alterius manducationis. Et certus sum Christum hic mihi mentitum non esse. Quare hanc ipsam & non aliam manducationem cœnæ usu in animo meo renovo, fidemque illius in animo meo, ex Christi institutione, ob signone mihi excidat unquam. Atque hoc mihi satis est, qui his plura quærunt id illis per me licet, sed mihi pax est cum omnibus, qui hanc quam exposui manducationem agnoscent. Sive illi postea addant aliquid, sive non addant, modo me circa eam, quæ Christo satis est, manducationem manere sinant. Ita ego pacem cum omnibus habeo, quantum in me est, quod quidem ad cœnæ dignitatem attinet, quandoquidem idem cum omnibus cœnæ mysterium agnosco, nempe communionem corporis & sanguinis Christi. Sed sunt, quibus hoc non satisfaciatur. Hos ego permitto judicare quod velint, interim illos pro fratribus habeo, si id patiantur. Certe do operam, ne a me quoquomodo lædantur. Sic sunt nostra, mi Albarte. Per

Joannem fratrem mittam tibi doctrinae nostrae  
moderationem Ecclesiis nostris propositam  
in hac causa, is brevi apud vos erit. Ego raro re-  
cte valeo, indies suppululantibus novis morbis.  
Indicium mihi fit, brevi solvendum esse domi-  
cilium hoc nostrum nosq; cum Christo, quod  
spero, brevi esse futuros. Dominus faciat,  
quod bonum est in oculis ipsius. Sustulit  
mihi Dominus infantulum nostrum, Paulum:  
is est jam prodromus noster futurus apud  
Christum: nosque illum, cum volet Domi-  
nus, subsequemur. Orsus hic sum rem ma-  
gnam, mi Albarte. Redimere jam debeo bo-  
na quaedam Principis promissione; Quater  
mille & quadringentis taleris, ut uxorulae &  
liberis meis pro mea tenuitate prospiciam.  
Ad id cum mea omnia non sint satis, coactus  
sum conflare aë alienum, non sine & labore  
magno & magna molestia. Jam tum res  
fere confecta est. Adjunxi mihi socios re-  
demptionis, qua parte mihi mea defuerunt,  
sed ea lege, ut mihi liberum sit semper eos  
iplos redemptionis socios submovere, si ali-  
unde det onus, ut illis pecuniam ipsorum pos-  
sim aliquando reddere. Hic vero opus esset  
arte illa, quam nosti, ut quod conflatum est,  
efflari rursus posset. Sed metuo ne nos hic  
folles fallant. Praestat igitur totum hoc quid-  
quid est Domino committere, is, si mihi &  
meis salutare est, commonstrabit viam dis-  
solvendi, quod contraximus. Sin minus,  
tum

tum & hoc quod dedit adimat, modo ut nos sibi fervet. Habes mea omnia. De tuis rebus vellem statueres, num eas tibi mitti velis: nam vestes à tineis arceri nullo modo possunt: etiamsi crebro excutiantur. Vale. Expectamus abs te plaustra literarum. Iterum vale. Raptim Embdæ postridie Michaelis Anno 1546.

K.

Doctissimo Viro

D. Alberto *Hardenburgo*,

Theologo Doctori in ecclesia Bremen-  
si, Fratri & amico observandissimo.

Literæ tuæ, mi Albarte, tum mihi sunt redditæ plane, cum Dominum Christophorum nostrum Comitem, qui nobis aliquandiu hic jam adfuit, aditurus essem: ita ut nondum eas perlegerim, cum ad ipsum venirem. Cum igitur eas legerem, quærebat unde venissent. Respondi, abs te allatas esse; ille mox cupiens scire quid scripsisses, mecum nonnihil a turba hominum secessit, exposui ei rem omnem; sed non indicavi, te abitum meditari, si tua sententia Magistratui istic non probetur, neque item ea, quæ ad me *περὶ μικρῆς ἐκκλησίας* scripsisti. Volebat habere literas tuas, respondi, contineri in illis privata quædam, tandem petiit

K 2

exem-

exemplum, tradidi, sed his non additis, quorum jam memini. Dixit se brevi istuc tua causa aut venturum esse ipsemet, aut e suis aliquem missurum. Quare scribere ad te hac de re volui, ut scias, quid illi ex literis tuis legerim, aut descriptum tradiderim etiam; quid vero subticuerim, ut si ipsemet forte ad te veniat aut mittat: nihil te ad me de his, quæ subticui, scripsisse dicas. Quod vero ad rem ipsam attinet. Meministi opinor, mi Albarte, tibi hoc a me prædictum esse, te istuc videlicet, sine tragœdia diu mansurum non esse. Ac mirari satis non possum istorum ingenium, qui cum a nobis controversiæ suæ nomine, non judicentur: imo cum fratrum loco nihilominus habeantur: nos tamen sine stomacho ferre non possint. Si aut Christi domini dignitas, aut salutis nostræ certitudo hac controversia in periculum aut saltem dubium ullum vocaretur: merito magni facienda esset, & vitandi hi, qui Christi Domini dignitatem salutisve nostræ fidem quoquomodo elevarent. Sed cum horum nihil hic fiat: imo cum & Christi Domini dignitas, & nostræ item salutis fides, ex æquo a nobis, perinde atque ab illis, ne quid hic aliud dicam, illustretur, animisque omnium imprimatur, miror unde hæc religio ut propter controversiam, quæ neque ad tuendam Christi Domini dignitatem, neque ad fidei firmamentum, denique neque ad  
pic.

pietatem alendam magnopere faciat, alii  
 alios judicemus, scindamus Ecclesias, & uni-  
 versam religionis causam apud illius adversa-  
 rios infamemus. Audio nobis obiici: De-  
 trahi nostra doctrina Christi Domini poten-  
 tiæ ac veritati, & proinde dignitati quoque,  
 si verba cœnæ, nudè, simpliciter, ac sub-  
 stantivè non exponamus. Respondeo, ver-  
 ba cœnæ, præter mentem Christi exposita,  
 non esse verbum Dei; & proinde ne pro cœ-  
 næ dominicæ quidem verbis reputari posse.  
 Quemadmodum in Christi Domini tentatio-  
 ne, verba a Satana è media scriptura desumpta,  
 non sane Dei, sed Satanæ potius verbum  
 erant: eo quod præter mentem Dei expone-  
 rentur. Et quæ ejus generis in scripturis ha-  
 bentur. Neque item quæstio est in verbis  
 cœnæ, de Christi Domini omnipotentia:  
 de qua & nos nihil dubitamus, sed est quæ-  
 stio de mente, voluntate, & ordinatione  
 Christi, hanc igitur nobis ante omnia indica-  
 ri cupimus, in ea, quam ipsi adferunt, ver-  
 borum cœnæ interpretatione. Aut si nos il-  
 lam in nostra interpretatione manifeste indi-  
 caverimus: idque non ex humani ingenii  
 rationibus ullis, sed ex Spiritus sancti autori-  
 tate: hoc est, e perspicuorum scripturæ loco-  
 rum in eodem ipso argumento Sacramentario  
 juxta legitimaque collatione. Æquum sane  
 erit, ut isti quicumque tandem sint, cedant,  
 siquidem Christiani esse volunt, non equidem

nobis, sed ipsimet Spiritui sancto omnis veritatis doctori. qui sane syllabis atque elementis sive apicibus literarum non alligatur, quemadmodum Augustinus alicubi docet, sed in unanimi totius scripturæ recte secata mente ac sensu conquiescit. Atque utinam id aliquando fiat, ut publice ea de re in caritate & libertate Christiana, omissis præjudiciis omnibus, tractetur. Quid vero si nos è regione ostendamus nuda illa, simplici ac substantiva, quam isti jactant & proferre interim hæctenus non potuerunt, verborum coenæ interpretatione in dubium vocari, & ipsiusmet Christi Domini dignitatem, & nostram de salute fidem, & omnem adeo scripturæ autoritatem? Et jam ne in istiusmodi interpretatione, mentem, voluntatem, atque ordinationem Christi, agnosceremus. Etiamne illam a Spiritu sancto proditam esse dicemus: At vero id non tam difficile fuerit indicare fortasse, quam nunc plerisque incredibile videri potest. Quare vellem hic istos paulo modestiores esse. *Et, (t) cum nos illorum infirmitatem in fraterna Christianaque caritare libenter ferimus, cuperemus etiam, ut nostram illi infirmitatem vicissim, ad eundem modum ferrent: atque a suis in nos conviciis abstinerent; donec res, publica Ecclesiarum disquisitione discute-*

re-

(t) Et hæc sibi dicta esse his temporibus putent, qui illorum, quos Lascius heic notat, vestigianunc præsent, T. d. H.

retur. Id si non impetramus? Judicem habemus doctrinam Christi, cui nitimur, quam & appellamus, hæc nos judicabit olim, cum ante illius tribunal sistemur. Interim feremus humana præjudicia, feremus & conviciâ; atque adeo in illis gloriabimur etiam, ne dum ut illis commoveamur. Parati tamen semper reddere, omni poscenti, doctrinæ ac fidei in hac parte nostræ justam legitimamque, ex verbo Dei, rationem, in omni mansuetudine & caritate. In tua sententia Magistratui tradita, placent, quæ juxta Nicenæ Synodi, ut scribis, mentem professus es. nos videlicet ore carnali in cœna sumere panem & vinum, idque mysticum: hoc est, habens adjunctum cœleste mysterium, quod fide percipitur, nempe vera veri corporis & sanguinis Christi communionem. Estque hæc veterum Patrum omnium & catholicæ Christi Ecclesiæ doctrina, quam & nos sequimur. Placet etiam, quod addis, ad eundem modum panis ac poculi Domini in cœna usum, esse corpus Christi: ad quem modum ipsemet Christus Dominus apud Joh. cap. 6. Carnem suam cibum & panem esse testatur. Tametsi quod subdis, de exhibitione in cœna ejus, quod apud Joannem promittitur haud scio an quatuor pedibus currere, quod dicitur, hoc est, an prorsus consistere possit. Promittit Christus apud Joannem daturum se esse pro mundi vita panem, qui sit caro sua, hoc si in cœna præstitit, hoc est, si panem illum

carnis suæ pro mundi vita nobis in cœna exhibuit, quid jam opus erat cruce ac morte sua? nimirum actum egisset, quod ajunt. Quare nos id, quod apud Joannem promittitur, non equidem in cœna exhiberi proprie, sed in cruce semel vere exhibitum esse dicere malimus. Cœnam vero fuisse tunc cum institueretur, instantis jam illius ipsius exhibitionis, nunc vero demum completæ sigillum & contestationem, quemadmodum ipsemet Christus ait; quod pro nobis traditur, ac rursum, hoc facite in mei recordationem. Cæterum (mi Albarte) assentiri non possum illi, comparationi tuæ, de columba, de inflatione Christi in Apostolos & spiritu sancto. Est quidem ingeniosa, adeoque & speciosa, fateor, nec ignoro illam vehementer urgeri, scis a quibus. Sed non video ut quæ de spiritu dicuntur, ad ipsam etiam substantiam corporis Christi referri omni ex parte possint. Spiritus juxta ipsam etiam divinitatis suæ existentiam replet omnia, ut scis. De corporis Domini etiam glorificati substantia nihil hujus habemus, imo vero diserte habemus, non est hic. Ut igitur demus Spiritum sanctum juxta substantiam suam, in columba, in halitu Christi Domini adfuisse, non ideo efficitur interim ut corporis Christi substantiam jam in cœna ad eundem modum adesse seu inesse credamus. Omitto hic discrimen illud, quod Dominus ipse constituit inter Spiritum & jam

jam glorificatum corpus suum. Hoc unum  
 addam. Si verum est, quemadmodum sane  
 verissimum est, ad eundem modum nos  
 communicare corpori, & sanguini Christi in  
 cœna, quemadmodum catholica Ecclesia illi  
 communicavit in aliis Sacramentis tam vete-  
 ribus quam novis. Certum in vetere Ec-  
 clesia, eadem exstiterit corporis & sanguinis  
 Christi communio in usu circumcisionis &  
 Agni Paschalis, quemadmodum id expresse  
 Paulus docet, ac dubium non sit, substan-  
 tiam corporis Christi illis Sacramentis non-  
 dum tunc ita adfuisse, quemadmodum Spi-  
 ritus Sanctus columbæ & halitui Christi ad-  
 fuit: non enim tunc adhuc ulla corporis Chri-  
 sti substantia exstabat. Ne nunc quidem fa-  
 cere aliquid potest similitudo illa de colum-  
 ba, halitu Christi, & Spiritus sancti præsen-  
 tia, ad probandam nobis in cœna sub pane  
 aut cum pane præsentiam substantiæ corpo-  
 ris Christi. Hæc ad tua, & dabis veniam  
 nostræ libertati, mi Albarte, a nostro in te  
 amore profectæ. Reliqua quæ ad me scribis  
 curabo fideliter, mi Albarte. Sed vellem,  
 semel statueres certe, ubinam &c. Nam  
 ita suspenso animo semper esse, non video  
 quid fructus adferat. Si eo plane es animo  
 ut sis nobiscum, locus paratus est, modo ut  
 dicas. *Ja.* Et vellem, ut faceres, si me au-  
 dias. *Ego non resumpsi ministerium, mi*

Albarte, sed extra munus hoc ministerii, operam meam Principi detuli; tantisper dum hic maneo, rogavi que ut alium (loco meo) in tempore quarant. Nova nulla. Vale. Et tuam ex nobis hic omnibus diligenter saluta. Salutat te mea iterum vale. Haberem sane quæ tibi in tua ista causa usui essent fortassis. Sed hæc in chartis ita dispersa sunt, ut non facile colligi possint, multo minus aut describi. Quin ne id quidem quod nunc scribo describi potuit, imo neque relegi. Itaque ignosces. Tertio vale. Et fac inducas animum, ut sis nobiscum. Meministi illorum militum qui se finem in Alexandrum invehendi facturos non fuisse dicebant si non illos vinum defecisset. Ita neque ego ad te scribendi finem facturus eram, si non me charta hæc defecisset. Quarto vale. Æmbdæ 29. Januarii Anno 1548.

Ita mihi Dominus restituit valetudinem, ut jam bis hac hyeme iter hinc in pagum nostrum pedes confecerim & pedes etiam redierim. sit Deo gratia.

Jo. à Lasco, quantus est  
tuus.

L.

Doctissimo viro

DOMINO

*Alberto HARDEMBURGO,*

Doctori Theologo in ecclesia Bremensi,  
fratri & amico observandissimo.

**A** Ccepi nuper literas è Colonia a Martino meo & has adnexas ad te à Medmanno, quas & aperui, posteaquam mihi ejus rei potestatem, si quid ejusmodi ad me veniret, fecisti. Eadem vero Martinus meus ad me, quæ & ad te Medmannus, quare nihil habeo, quod addam. Consilium Witebergensium Theologorum de libello INTERIM accepimus, cui præfixa est Philippi effigies. Nolo pronunciare quidque: sed si ea omnia ejusmodi sunt, ut recipi rursus possint: quæ illic non reprehenduntur. Ubi erunt illi qui ea, quæ nunc diserte non impugnant, capitis etiam periculo impugnanda esse docuerunt & multorum mactationi occasionem dederunt? Dominus respiciat suam Ecclesiam. Consilium ne meminit quidem transubstantiationis: nedum ut illam impugnet. quam tamen, *interim*, constituit & defendit. Mitto alia: quantum vero clamatum est hætenus contra transubstantiationem? Imo quantum sanguinis fuscum pro illius detestatio-

tione? Veni Domine Jesu &c. Scripsi ad te nuper & literas ad D. Carolum nostrum adjunxi. an acceperis nescio. Philippus dicitur cogitare Magdeburgam, & illic velle sedem figere. Hoc narrat bibliopola noster Hermannus, qui Witeberga nuper rediit: Te rogo ut ad illum occasionem scribas, num literas Cantuarienses à me ad se per Æpinum transmissas acceperit & ut respondeat. Mittit tibi mea vasculum butyri laboris sui, & aliquot caseos. Boni consules omnia, vale. 28. Julii Anno 1548.

Ego.

M.

Titulus ut supra.

**E**Xpectavimus te hic magno desiderio: dicebaris enim à Christophoro vocatus esse, ut huc secum una venires, is ubi venissem valde amanter nostri meminit apud sororem, cupiens ut ad se venirem. Ac vero si ullo modo itinera fuissent pervia ad ipsum profectus fuisssem multo libentissime. Sed neque terra neque aqua quoque proficisci licebat. Gaudeo enim de metamorphosi super modum: de qua tum etiam mihi narrabas, sed hic alii plura retulerunt. Ita vero hic excepti sumus, ut si ad maxime necessarios venissem, amantius excipi non potuerim. Pro nulla Ecclesia, ita sunt solliciti No-  
bi-

biles fere omnes, ut eorum studium non benevolentiam, denique & munificentiam satis prædicare non possim. Dominus Christophorus Eufomanus veri fratris officia præstare non cessat, cujus ego pietate ita delector, ut meæ me inertiae prorsus amantissime referunt: sed & re ipsa nostros ita juvant, ut nobis omnes in communem quandam patriam venisse videamur. De Principe quoque omnes nobis omnia bona pollicentur: & ipsamet mihi non obscuram ejus rei significationem per Dominum in Oldersum dedit. Breviter ago gratias Domino Deo meo, quod nos huc reduxerit. A Duce etiam Megapolitano expecto responsum: & spero melius fore, quam fuit Regis Daniæ. Te aut libenter hic vidissem nunc si id fieri ullo modo potuisset: ut tecum de Gellii, (u) fratris nostri catechismo coram egissem. Ut enim verum fatear nollem illum editum: reperi namque in illo quædam quæ mihi (si exeat) ferenda, dissimulandaque non erunt. Statueram itaque tecum de impedienda ejus editione tecum agere. Et nunc optarim illum

(u) *Gellius Faber*, de Bouma, Leovardiensis, V. D. M. Jelsumensis in agro Frisiaco, deinde Nordanus a. 1536. & deinde Emdanus ab a. 1538. adeoque Lascii collega fuit. Mortuus est postr. Kal. Jun. anni 1564. Ulbo Emmius *Virum* vocat *doctrina & animi magnitudine egregium*. Vide de eo *Gabbemae verbaal van Leeuwarden* p. 374. & Jac. Isebrandi *Harsckenroth. Emdsche Herderstaff* p. 4. T. d. 14.

lum ad tempus saltem suppremi si fieri posset. Et esto ut jam imprimi cœperit, & tu efficere ullo modo queas, ut editio interrumpatur. oro te da operam, quantum potes ut id fiat. Nos facile sumptum si qui jam est factus persolvemus modo sciamus quantus sit: Et ut ocyus editio interrumpatur, facies nobis rem multo gratissimam & Ecclesiis nostris valde utilem. Sed hæc tibi soli. Gallus obsidet Lucemburgum: Maria Brabantia tractat in Anglia ipsamet conjugium, inter Mariam Anglicam & Cæsaris filium. Quod si procedat: ego tibi prædico fore funestum. Postea res docebit. Vale raptissime Embdæ ipso natalitiorum Christi die Anno 1553.

Manum nosti.

N.

**A**Ccepi tuas literas. 23. Decembris scriptas, unaque & farraginem Westphali mendaciis & calumniis plenam: pro qua tibi interrim magnam gratiam habeo. Brevisque ad illam respondebo (per Dei gratiam) & quidquid hujus erit ad te transmittam: priusquam evulgetur. Facile est autem de spiritu Westphali judicare, dum in consensionibus dissidia comminiscitur, & nodos in scirpo quærit. Christi spiritus dissidia componit, & conciliat, quæ dissidere videntur; iste in con-

sea.

fensione quærit diffidia, ut scindat Ecclesiam,  
 suoque errori patrocinetur. Si nobis fuisset  
 studium conferendi interpretationes eorum,  
 quos ille a suis partibus stare putat: facile isti-  
 usmodi farragines colligere possemus, &  
 ostendere re ipsa, non mendacibus calum-  
 niis, ipsos, non modo inter sese, sed  
 plerosque secum ipsos, & quidem non ver-  
 bis, sed plane sensu ipso dissentire. Ut si  
 quærat, alterutra doctrina ob dissensionem  
 damnanda sit, multo magis ipsorum doctri-  
 na, quam nostra, condemnationi obnoxia  
 futura esset. Ut ne dicam interim nos mul-  
 to graviores habere notas in hac ipsorum do-  
 ctrina: propter quas ea sane (si legitimum  
 de illa Ecclesiæ iudicium habendum esset,) to-  
 lerari inter pios haudquaquam deberet. *Ego  
 sane, (w) si alia nunc essent tempora, & non  
 tantum Ecclesiæ Christi-periculum, ex istiusmodi li-  
 bellis impenderet, gauderem tales ab istis libellos  
 edi: nam hac tanta mendaciorum & calumnia-  
 rum impudentia, nihil dubitarem causam nostram  
 apud pios omnes commendatam iri, nedum ut ipsis  
 adjumento esset futura.* Sed de hoc in respon-  
 sione plura. Nunc ad nostra, scripsi ad te nu-  
 per de catechismo Gellii, & vellem ut fa-  
 ceres quemadmodum scripsi. De sumptu  
 quicumque fructus est, nihil erit negotii.  
 Et

(vv) Cum eadem in nostris quoque diebus,  
 ab ejusdem Westphali successoribus ludatur  
 fabula, nos similem in modum cum Lascio nos con-  
 solamur. T. d. H.

Et ita inter nos convenit : ut tres simul catechismos edamus : majorem , quem hic una omnes formavimus : hunc Gellii , paucis mutatis : Et tertium , minimum , pro pueris tenuioribus , mittitq; Gellius ipse ad te literas ea de re. Spero te conventurum cum comite Christophoro nostro : oro te , ut causam nostrarum Ecclesiarum illi commendes. Medmannus tibi exponet omnia. Venissem ipse nunc cum Medmanno : sed mihi ab hoc tanto frigore metuo. Ubi paululum se seremiserit ; visam & ipse comitem , de quo sane valde gratulor & gaudeo. Dux Megapolitanus amanter respondit : sed metuit sibi a fratre suo Ulricho. Spem facere videtur nescio quarum rerum , quas adhuc oporteat expectari &c. Alia nunc non habemus. Vale  
Prima anni 1554.

*Precor tibi & tuis omnibus faustum  
ac felicem hunc annum. salvere jubeo  
Tuam, (x) Jacobum, Molanum, & Eilardum.*

O.

(x) Intelligit *Jacobum Praveſt*, sive **PRAEPOSITUM**, ex monacho & Priore Augustiniano, primum ecclesiae Bremensis post abolita Latinorum sacra ab a. 1524. Superintendentem, *Jobannem MOLANUM*, Virum doctum, pium, scholae rectorem, de quo mox plura dicendi locus erit, & *Eilbardum SEGEBARDIUM*, Bremensem, ab anno 1541. ecclesiae Ans-garianae in patria ministrum, sed a. 1562. dimis-sum

Dn. Alberto Hardemburgo,  
Doctori Bremæ ad manus  
proprias.

**B**Inas abs te literas accepi (mi Alberte) alte-  
ras 12. Martii alteras per Martinum nostrum  
*Micronium* (y) scriptas literas, quibus te mi-  
Class. VI. Fasc. I. L hi

sum; A quo tempore munere Superintendentis  
Peinæ in episcopatu Hildesensi functus est, sed &  
illo privatus a. 1571. propterea, quod quorundam le-  
vitatem liberius reprehenderat, quae verba sunt Herm.  
Hamelmanni in Opusc. p. 943. Possideo hunc ejus  
libellum; *Argumenta sive positiones aliquot, de Chri-  
sti Jesu veri Dei & hominis in omni loco praesentia,*  
*contra falsam illam monotopiam, quam D. Albertus*  
*Hardenbergius defendit, Eilhardi Segebadii, apud Bre-*  
*meneses V. D. M. quas omnibus piis per totam Germa-*  
*niam dijudicandas subjicit; una cum responsione D.*  
*Alb. Hardenbergii ad praemissam sarragineu Eilardi*  
*Segebadii, in qua τὴν πανταχούσιαν corporis Christi*  
*defendere conatur.* Utrumque scriptum editum est My-  
loecii. (Muhlhausii) 1564. in 8. T. d. H.

(y) Fuit ille ecclesiae Nordanae Minister; Edidit scri-  
ptum *Apologeticum*, quo ecclesias Orientalis Frisiae à  
Joachimo Westphalo, aliisque ei similibus falso iradu-  
ctas, modeste tuetur ac purgat: 1557. 8. de quo vide Hofp.  
hilt. sacram. P. II, p. 247. Possideo pariter hoc ejus  
scriptum; *Een vvaaragtig verhaal der tsamen spre-*  
*ckinge tusschen Menno Simons ende Martinus Micron*  
*van der menschverdinge Jesu Christi met eener kleyner*  
*verklaaringe op den selven ende andere tvoistige Artike-*  
*len; Dordraci 1603. 8. Colloquium illud cum Men-*  
none

hi de libello Gellii respondisse scribis, nullas  
 accepi, neque quomodo interierint scio, sed  
 mihi satis est, si libellus prematur. Consi-  
 lium meum in mutatione editionis nullum  
 est: nam ut ederetur nunquam suasi, sed ubi  
 intellexissem, atque ipsemet postea etiam vi-  
 dissem, genus doctrinae in libello mutatum  
 esse: atque illic tradi quae, (me hic praesente)  
 reprehensa semper fuerunt, denique affir-  
 mari etiam, quod ejusmodi doctrina hic du-  
 dum tradita ac recepta esset, facere pro fide  
 ac dignitate mei ministerii non potui, quin  
 hujus Gellium serio admonerem, cum cer-  
 tum sit alioqui, eam doctrinam, quae in suo  
 libello habentur, nunquam hic in Ecclesia  
 (me praesente) sine reprehensione traditam,  
 ne dicam receptam fuisse. Et me oportere  
 adversus ipsum scribere, si libellus edere-  
 tur. Habes meum consilium (mi Alberte)  
 cur

none & Hermanno van Tielt, Anabaptistarum an-  
 tesignanis habitum fuit mense Februario a. 1554  
 Wilmariæ, quo cum sociis Lascii ex Anglia extor-  
 ribus & e Dania media hieme expulsis appulerat.  
 Exstat ad hunc Joh. Calvinii epistola, quae inter edi-  
 tas 354. locum obtinet. Joh. Hiperius, Glocestri-  
 ensis episcopus eum vocat *pium & veterem* amicum  
 in epist. ad Lascum scriptas, quae inter illas à Si-  
 mone Gabbema vulgatas legitur p. 116. Obiit Nor-  
 dae Frisorum d. 12. Sept. a. 1559. peste ibi extin-  
 ctus una cum collegis suis Feddone Homnio & Al-  
 berto Holtmanno, in qua urbe inde ab a. 1554.  
 Evangelium docuerat. T. d. H.

cur mihi ferenda non sit libelli illius editio. Quod scribis tibi videri, catechismum hunc, eundem plane cum priore esse; vellem te id ostendere posse. Ego enim id (ut verum fatear) non video. Imo vero in illo video, quæ neque probavi unquam, neque probare possum. Neque vero ego mutavi quid, in doctrina mea, ab eo, quod vel nostris hic Ecclesiis ante meum hinc abitum in scripto meo traditum reliqueram: vel ad vestros istuc ministros te autore scripseram. Sed scio, nusquam in utroque illo scripto id haberi, quod in hoc Catechismo habetur. Exacerbatos esse multos libello meo in Anglia edito nihil miror, hoc enim in dogmatibus controversis vitari nunquam potest. Sed ego istis alios oppono, & pietate, & eruditione pares, (ne quid aliud dicam) qui mihi pro meo libello maximas gratias egerunt, adeoque & nunc sollicitant ut denuo edatur. Et tamen, si causas aliquas justas habere istas intelligam suæ istiusmodi exacerbationis, dabo operam ut illis aliquomodo satisfacere possim. Nam si exacerbationis suæ causas nullas proferre possunt, quæ quidem pondus aliquod habeant: & nihilominus exacerbari pergant, id mihi ferendum in illis erit, dum corrigere non possum. Ad tollendum doctrinæ dissidium pacificandasque Ecclesias, ita sum affectus & fui semper: ut nulli hac in parte sim cessurus: sed sic ut veritas obtineat,

non autem obscuretur, aut dissimuletur quo-  
 quo modo, in hominum gratiam. Alioqui nolo  
 placere hominibus ut numero servorum  
 Christi excludar, quod in me quidem est.  
 Atque hic mihi bene conscius successum cau-  
 sã totius, Domino Deo alacriter & optima  
 conscientia permitto. Qui iis finibus doctri-  
 nam de Eucharistia includere volent: qui-  
 bus in meo scripto vel istis hic Ecclesiis per  
 me olim relicto vel vestros istic ministros da-  
 to inclusa est: parata est concordia, donec  
 Dominus meliora dederit. Alioqui neque  
 Anglicus liber meus aliam doctrinam habet.  
 Sed diversam doctrinam gravius oppugnat.  
 Et tamen vix decimam eorum partem attingi  
 adhuc, quæ commemorari possent. Sed  
 forte addito præfamine adjicientur. Et tum  
 demum Westphalus (verbi alioqui Divini  
 sceptro abjecto) Magistratus in me sceptrum  
 concitabit, facilius illi nimirum erit ad hunc  
 modum disputare, multoque adhuc facilius,  
 si Papam sequutus, ferro ac flammis rem  
 agendam esse clamet. *Atque hos te, (mi Al-  
 berte) placandos esse putas? Ego vero cum illos,  
 non nisi mendaciis ac calumniis agere videam: su-  
 amque ipsorum ab illis, non autem Dei gloriam  
 queri, ita sum plane de eis placandis sollicitus,  
 ut Christum Dominum, video fuisse sollicitum, in  
 placandis Principibus Sacerdotum, & Phariseis.  
 Apud pios, ac gloriæ Dei studiosos homines, gra-  
 tiosus esse cupio: meaque illis opto probari omnia,*

Et ut nos in mutua charitate feramus. Sed cum contentiosis & turbulentis hominibus, non cupio mihi multum esse negotii. Male te istuc audire nihil miror ( mi Alberte ) imo vero te ita bene adhuc audire miror. Quinam vero nostri te flagellent, plane nescio, multo minus, quinam sint, qui te Musicam vivere vitam putent, quod ipsum ne ego quidem ipse satis intelligo, fac ut sciam, & videbis me non fore mutum. De me tibi potes polliceri, quod de te ipso, plura jam non possum. Vale. Cætera Lambertus noster. 28. Martii 1554.

Manum nosti.

P.

Aggo tibi, & illis omnibus quorum in tuis literis meministi gratias ( mi Alberte ) quod & Patriæ meæ de exorta illic Evangelii luce, & mihi de mea illuc vocatione gratulemini. Est sane modis omnibus laudandus Deus: qui re ipsa declarat, se, Sathana; & omni ipsius satellitio potentiolem esse. Neque vero solum in mea Patria procurat nobis miseris (z) *Swermeris* hospitium, illi sit gloria. Sed etiam apud Suedos. Quorum Rex nostram è Dania propulsionem palam accusat; & dolet, quod non rectè ad illum contenderimus. Denique

L 3

que

(z) Est hic titulus inter illos elegantiarum Rosculos, quibus B. Lutherus a se in causâ eucharisticâ dissentientes notare solebat. T. d. H.

que nobis & nostris pollicetur, non tantum hospitium, atque publicum ecclesie nostrae ministerium, sed etiam liberalia ministris nostris stipendia, si nos eo conferre, aut aliquos è nostris mittere velimus: etiamsi illic diversa à nostra doctrina publice habeatur recepta. Hoc nuncium a Rege illo nunc primum hisce nundinis accepi, præter omnem meam expectationem. Quod ad te porro privatim attinet, longum esset ad singula respondere, quæ & per (aa) Slongranium & per Molanum ad me scripsisti: sed ea attingam, quæ magis ad rem faciunt. Si tibi dentata visa est fuisse mea (bb) epistola quam postremam ex Frisia ad te scripsi, (mi Alberte) id equidem non tam mihi, quam tuis ipsius literis ad me antea paulo scriptis imputare debebis, quæ transmitti alioqui in ventriculum, nisi istiusmodi dentibus fractæ, non potuerunt. Miror nunc, quibus coloribus de-

(aa) Johannes hic Sloengrabius fuit Canonicus & decanus aedis Ansgarianae Bremensis, juventutis in prima scholae curia Doctor. Illi a. 1597. de mortuo haec posita est sepulchralis inscriptio.

*Mortua SLOENGRABII lapis hic tegit ossa JOHANNIS,*

*Decurio sancti, qui fuit Ansgarii.*

*Quem probitas, quem cana fides, studiumque laborque,*

*Narrabunt alii coetera, nobilitant. T. d. H.*

(bb) De causis hujus fribusculi inter hoc magnorum virorum par vide Eminii Hist. Fris. L. LX. p 949. & 950.

depingere conatus sis nescio quos, quos interim meos vocabas: cum ego talium consuetudinem, neque agnovi unquam, neque etiamnum agnosco. quasi vero non id in me etiam redundarit, quod meis scilicet tribuebatur: cum quibus alioqui, aut ipse sensissem, aut ipsi mecum. Neque ego in literis meis de Philippo ita agebam ut dubitarem illum recte omnia si vocatus fuisset, prudenterque acturum fuisse, sed de tuo consilio agebatur, quo tu illum ad instituendam doctrinæ in Ecclesiis nostris moderationem quandam vocandum esse suadebas, quæ sine qualicunque doctrinæ mutatione institui non poterat, ac proinde me non prius per te admonito fieri etiam debebat, præsertim cum non ignorares me adhuc pastorem ecclesiarum illarum fuisse. Nec refert solusne id, an vero cum aliis feceris, satis est per te factum esse, non sine fraude quadam ministerii nostri, & offensione multorum in meis ecclesiis. Hoc (inquam) est quod me offendebat (mi Alberte) sed non ita tamen offendebat ut animum abs te meum quoquo modo alienaret, sed tantum requirebam ut qua parte mihi adversus meum ministerium egisse vilus es, ea ipsa parte illius fidem vicissim sarcires, nempe ut quemadmodum consilium de vocando Philippo ad instituendam doctrinæ moderationem me non admonito dedisti, vel ab aliis datum probasti, ita

illud apud eosdem ipsos rursus improbarés.  
 Quemadmodum ea res ad labefactandam mi-  
 nisterii istic mei fidem videtur pertinere.  
 Hæc vero animum abs te meum alienatum  
 non esse testantur dum te officii hac in par-  
 te tui pro fraterna invicem charitate alenda  
 admonerem. Quod vero ea omnia oblivio-  
 ni tradi cupias actum agis, mi Alberte. Nam  
 ea jam pridem oblivione sunt obducta, neque  
 pensationem ideo requisivi, quod offensio in  
 animo meo hæreret, sed quod mihi pro meo  
 in te officio facere id omnino debuisse vide-  
 bar. Quare facile est non amplius memi-  
 nisse, quæ jam dudum oblivioni sunt manda-  
 ta. Igitur non est quod de animo erga te  
 meo quanquam omnino dubites, imo vero  
 qua parte te a me offensum esse sentis id mi-  
 hi abs te condonari cupio tantum abest ut  
 aliquid offensionis inter nos reliquum esse  
 velim. Pro cura liberorum meorum habeo  
 tibi magnam gratiam, de quibus plura Mola-  
 nus ipse, quo nunc amanuense meo propter  
 morbum uti cogor. Vale, & fratres  
 omnes & amicos meis verbis

saluta, a. 1554.

THEODORI HASAEI,  
ad locum quendam Sui-  
dae & Arriani Observatio.

ARGUMENTUM.

Locus Suidae §. 1. Quatuor in eo difficultates §. 2. Βη-  
ρυς, Virunus est ein Bär. §. 3. Germani aprum  
vel porcum marem dixerunt *Beeren*. *Arverro*. *Werro*.  
Speculum Saxonicum illustratur. Ut & Statu-  
tum Bremense. *Quick*. *Quicksilver*, *quaeck*, *anguae-  
cken*, *fect* / *küken*, *erquicken* / &c. §. 4. *Bärenhuter*  
notat subulcum §. 5. Huc spectant porcorum ma-  
rium nomina. Βερρης, *Verres*, *aper*, *Eber*, *Ber-  
schvuy*, *Vercken*; *Bar*, *Bor*, *Borgschvuy*, *Verrat*,  
*Perna* &c. §. 6. בר generale nomen est, & trans-  
latum ad omnia animalia; בררה, *gebähren* / *parere*,  
*beran*, *bairan*, *beoran*, *Bert*, *Albert* §. 7. Sigillatim  
ad homines; בר, *puer*, *por*, *Bearn*, *Baron*, *Baren*,  
*Βερρην*. §. 8. Deinde ad animalia bruta; בעיר, *fera*,  
*Дир*, *baro ferus*, *bellua* §. 9. Denique diversis anima-  
lium speciebus adhaesit v. gr. *Elephanto*, *urso*, *ovi-  
bus*, *equis*, *bobus*, quod ex variis linguis osten-  
ditur אבירים §. 10. Urbs Berunum. Virunum. Ste-  
phanus de urbibus illustratur. Fuit duplex in  
Rhaetia & Norico. §. 11. An Berunum Suidae sit  
Bellunum Venetorum §. 12. Ostenditur esse *Bernam*  
*Helvetiorum*. Ejus denominationis occasio §. 13.  
Id probatur triplici argumento §. 14. Occurritur  
objectioni. Norici fines late patuerunt §. 15. Tota  
loci hujus ratio exponitur. §. 16. Locus Arriani

corruptus. ΕΙΠΕΝΗ ΔΙΩΜΜΕΝΧΘΕΣΙΑΣ §. 17. Salmastii & Jacobii sententia excutitur. §. 18. Vera lectio restituitur. §. 19. Εκτεινεοθαι, διαλεινοθαι, παρελεινοθαι de regionibus late protractis sumitur. §. 20.

§. 1.

**S**uperioris classis Fasciculo tertio p. 495. adduxi locum aliquem Suidae, quem cum adtentius considerarem, deprehendi non indignum esse, qui paulo diligentius excutiat. Ita autem ille

se habet. Βηρχνιον, ὄνομα πολειως. Νωρικοσ γαρ ἐστὶν ἑνθα στος χρημα θεοπεματον την χωραν ἐλυμαινετο, και αὐτω παντες ἐπιχειρυντες, εἰδεν ἡνυον μεχρη πῖς ἀνηρ τον συν περιτρεψας ἐπι τῆς ὀμης ἀνεθετο, οἶον πῖ και περὶ Καλυδανῶ μυθευετα. οἱ δε Νωρικοι ἐπεβοησαν. εἰς ἀνηρ, τι ἰδια φωνη τῆς βηρχνῶ. ὅθεν ἡ πολις Βηρχνιον ἐκληθη; Haec ita vertit Aemilius Portus, Βηρχνιον. *Virunium. Nomen urbis. Norici gens est, apud quam vastae molis aper divinitus immissus agrum vastabat. Quamvis autem omnes indigenae ipsum aggrederebantur, nihil tamen proficiebant, donec quidam vir aprum prostratum in humeros imposuit, cujusmodi quaedam fabula de Calydone refertur. Norici vero acclamarunt sua lingua, εἰς ἀνηρ, hoc est, βηρχνῶ i. e. Vir unus. Unde ipsa urbs Virunium vel Berunium appellata fuit.*

§. 2. Quatuor sunt, in hoc loco, quae, cum obscuriora sint, merentur anquiri. (1) Quomodo Norici, Germaniae populus suo idio-

idiomatē, τῆ ἰδίᾳ φωνῆ exclamare potuerint  
 Βῆρβῆ. (2) Et cum ostendemus illam vo-  
 cem notare; ein Bär/ qua ratione id à Sui-  
 da explicari potuerit, εἰς ἄνῆρ, *Unus Vir*? (3)  
 Cum autem occurfus apri istam exclamatio-  
 nem excitaverit, quomodo Norici eum vo-  
 caverint *Ursum* einen Bären? Denique, (4)  
 quænam illa urbs Noricorum sit *Berunium*, cui  
 occurfus apri aut ursi nomen suum de-  
 derit?

§. 3. Quod ad *primum* adtinet, facile unus-  
 quisque animadvertet, populum Germaniæ,  
 non usum fuisse lingua Latinorum, neque  
 clamare potuisse, *Vir unus*, εἰς ἄνῆρ, quod  
 deinde in Βῆρβῆ fuerit transformatum, ne-  
 que bestiam, qualis erat ursus vel aper, qui  
 occurrebat, salutatum fuisse nomine *Viri*.  
 Alia ergo hujus vocis Βῆρβῆ danda est signi-  
 ficatio. Neque difficilis illa est ad indagand-  
 dum. Βῆρβῆ enim ex duabus vocibus Ger-  
 manicis est conflatum verbum; *Unus Bär*. Ein  
 Bär; Norici enim visa bestiâ admirabundi  
 exclamabant; Ein Bär; Cum autem Græci  
 B. soleant mollius efferre, quam à Latinis fit,  
 idque pronunciare instar F. id quod in-  
 genti exemplorum cumulo à nobis probatum  
 est in dissertatione qua probavi *LEVIN* in sacris  
 memoratum non alium esse à *Juda Thaddæo*, qui  
 & *LEBBÆUS* dictus est, quæ Cl. V. Fasc. III.  
 locum sextum occupat, hinc fecerunt  
*unus Vir*; sive *Vir unus*. Et cum vocis Latinæ  
 Vir

*Vir* notio, iis magis esset perspecta, quam Germanicæ *Bär*, hinc formarunt; Βηρσυος; *Eis d'vnp*, quasi dictum fuisset *Vir unus*. Litera *n* mutata in *i*, quod illo jam aevo ita pronunciarī solebat, aliter ac vetustissimis temporibus factum est, quibus *rs* *n* sonus non erat *i*, sed *e* vel *æ*.

§. 4. Verum enim vero Suidas narrat Noricis visum fuisse *aprum*, non *ursum*, quomodo itaque dices conspecto sue eum Germani vocare potuerunt *Ursum*, *einen Bären*. Id vero inde factum est, quod *aper* sive porcus mas veteribus Germanis dicebatur *Beer*; Aimoinus in Hist. Franc. L. I. c. I. *Vernon* lege *Ver-ron*, *verrem* denotat, qui Saxonibus *BER* adhuc dicitur. Corn. Kilianus in Etymologico linguae Teutonicæ; *Beer*, *everschwyn*, *aper* Germ. *aber*, anglice, *boare*; *Beer*, *beervercken*, *verres*, porcus non castratus; *Ten beeregaan*, *subare*, *beerenvleesch*, caro *aprugna*; Gerhardus Schurenus in Dictionario Latino Germanico; *Beer*, *everschwyn*, *aper*. Dithmarus Merseburgensis in Chronico L. VII. *Insulam* porci vocant locum illum, ubi castrum *Bernburgum*, quod olim eodem teste *Bernaue* dictum fuit, erat situm. Hinc *verris* figuram in Principum Anhaltinorum insignia devenisse, qui castrum *Bernburgum* designet, a quo etiam Albertus, Principum Anhaltinorum fateri se *ursum* cognominaverit, quia *beer* & *verrem* & *ursum* significet, observat *Vir*, qui in hoc studiorum

diorum genere parem non habet J. Georgius  
 Eccardus in notis ad Leg. Sal. tit. 36. ubi vo-  
 cem *arvverro* compositam esse vult ab *ar* vel  
*ur*, quod notat silvestrem, & *verro* i. e. aprum  
 & hanc notionem vocis ibi Beer pluribus de-  
 monstrat. Clarissime id patet ex Speculi Sa-  
 xonici L. II. art. XL. verbis, uti illa  
 leguntur in rarissima, quam possideo, ejus  
 editione Augustana a. 1516. (aliter enim legunt  
 sequentes editiones a Christophoro Zobelio  
 conatibus Balhornianis emendatae) *Wes bunt  
 oder BEER oder Offe oder welkerhande vebe* &c.  
 Quae ita ibi latine exponuntur; *Qui canis  
 APERVE, taurus aut quadrupes* &c. Ubi vides  
 disertissime aprum vocari *ein Beer*. Sicut &  
 diserte in notis ad hanc legem Beer accensetur  
 bobus; qui natura sua non nocent, nisi ni-  
 mis saginati; *Beren unde Ossen sint nicht van Na-  
 turen schedelick, mer van Vreidigheit ader veddig-  
 heyt*. Ita in statutis nostrae urbis, quae a.  
 1433. sancita sunt stat. 39. Ordel. 93. *So wor-  
 een (a) quick lopet leddig up der Straten, ydt sy  
 pert,*

(a) Notanda haec vox est, quae nunc quidem abiit in  
 desuetudinem, olim tamen in vulgari usu erat, &  
 non paucis aliis in diversis linguis originem dedit.  
 Notat animal *vivum*, quod animatur, movetur, ex-  
 primitque Graecorum ζῷον, Ebraeorum חיה vel  
 חיות; Inprimis sumitur pro *pecudibus*, sive vacca-  
 rum, boum, suum, oviumque gregibus. In *Chronico  
 Sassenum* veteri ada. 864. *By disen tyden starf veel queeks  
 van koiem*. In volumine legum, quod quotannis pu-  
 blice

pert, idt si offe idt si schwin, und deit dat welcken  
schaden, den schal idt beteren; toege sick aver je-  
mand dat quick tho, de schal davor antworten;

Were

blice e curia civibus nostris praelegitur, quod vo-  
cant die kündige Rolle; lege LXXII. Oock en schal  
men neinerly quick, schvvyne ofte falen driven utb  
unsen gebeden by verlust des QUEKES. L. LXXXVI.  
Neengast schal QUICK dryven oep de Borgervveide L.  
CLXVIII. Oock en schal nemand führ böten op den ol-  
den Weg, offte syn queck. In stat Goslar. apud Leib-  
nit. inscript. RR. Brunsv. T. III. p. 502. & 516. Deyt  
een vvagen scade eder tred he ein queck, men mag den  
Wagen opholden, In Ordinario Sen. Brunsv. apud  
eundem Leibn. p. 469. lege 86. Oock scholde he op  
dem Marstalle nein queck mer hebben, twee Schvvyne,  
twee Schock Hönere. Botho in Chron. ad a. 810. In  
dussem Jare vvas eyn grot starve van QUEKE, alle  
Koyen, Ossen, Perde ende Segen. Idem ad a. 999. Hyr  
na quam een starve van dem QUEKE. In corpore le-  
gum Danicarum S. Jutlandiae (dat Denische Lou-  
boeck) L. II. l. 35. hic titulus est. So enes Mannes  
QUICK, jemand umbringet. Rabanus Maurus in  
gloss. Animatus, Kequichit. Glossae Sanianae Mss.  
quas citat ill. Eccardus in notis ad Catech. Theoti-  
scam, fleisc quecchaz, caro viva; Glossae Lipsii, quae  
in Ejus Epist. ad Belgas Cent. III. ep, 44. leguntur,  
ubi vide notas G. Somneri. gequicceda, vivificet, que-  
quicco vivifica, quiccase, animalia quasi quickvée,  
i. e. vivae pecudes. Veteribus Gothis in usu fuit,  
quod patet ex antiquissima Ulphilae N. T. Versio-  
ne, ibi Marc. XII: 27. Deus vivorum vertitur,  
quivaite God, & Luc. XV, 24. 32. gaquimonda; re-  
vixit. In vetustissima symb. versione Saxonica, quem  
edidit M. Freherus a. 1610. in 4. to daemeane aegther  
getham CUCUM, getham Deade; ad judicandum  
vivos

Were idt aver ein BEER, und up der Straten lepe  
und tho den barsprake vorlövet is und bose wapen in  
dem munde drecht, deyt de beer eenigen Schaden,  
des

vivos & mortuos. Quae vox eadem est, quae in  
altera symboli versione Alamanica ab eodem Fre-  
hero 1609. vulgata; legitur *istsonen QHVEKHE* *eati*  
*totbe*, sic enim gloss. Lindebronii Anglo-Saxonicum  
*Cuvica* vel *cuca* vivum. Mericus Casaubonus in  
comm. de lingua Vet. Saxonica p. 287. derivabat a  
Koko celeriter. Sed mea sententiâ sine fundamento.  
Est autem & haec vox aliis regionibus non ignota.  
*Quick*, Belgis, *quicke*, Anglis, *Qvick*, Suecis,  
*qvvig*, ut & *qvvinger* & *qvwickar*. Danis est *vivus* vel  
vividus. Tò *quicken* Anglis uti & Anglo-Saxonibus  
est vivificare, Belgis, *movere*, *Qvickna*, Suecis  
est reviviscere, uti *Qvvinga* juvenca, vacca. *Quicke*  
of *vvit*, Angli dicunt hominem vivacis ingenii. (vif  
d' Esprit,) uti Sueci, *Qvick, til förständer*. Et hinc  
multae voces derivantur; *Erquicken*, recreare, vi-  
tam inspirare. *Kiiken* vocant Cauci mei pullos re-  
cens exclusos. *Keck* Germanis est homo vivax, au-  
dax; *Quicksand*, sabulum fallax, quod facile move-  
tur; *Quecken*, *queecken*, *anqueecken*, nutrire, vitam  
inspirare. *Quaecken* etiam est matitare, quia vita in  
motu consistit, unde Quakerorum nomen. *Quickfil-*  
*ver* Anglis, Belgis, Germanis est argentum vivum.  
*Quaeck*, gramin, quod sponte sua provenit, vo-  
cant nostri agrorum coloni, uti Sueci *queka* & Au-  
gli *quich-grafs* vel *Couckgrafs*. *Quickborn* etiamnum  
Saxonibus est fons aquarum vivarum. *Quickbaage*  
sepes viva, sive ex viventibus arboribus contexta.  
*Quicksteert* nostri homines vocant hominem agi-  
lem, qui semper quasi in motu est. *Queck-*  
*holder* in glossis Junianis juniperus, nunc *wachhol-*  
*der* / quasi, arbor, quae vitam retinet, i. e. quae  
sem-

des de beer is, und overtyget werd, des hall dat  
betern met 3. punden, unde de beer met synen lyve. Ubi  
vides Beer accenseri animalibus, quae in urbi-  
um plateis currentes homini inferre possunt  
noxam, quae in communem vicinorum usum  
aluntur, quae arma sua in ore gestant; quod  
cum de uris affirmari nequeat, accurate au-  
tem omnia convenient Verribus, non dubium  
est, quin illi hic intelligendi sint. In parili  
significatione vox illa occurrit in statutis Ham-  
burgensibus, Lubeeensibus, Brunsvicensibus,  
quae consuli possunt.

§. 5. Atque ex hac observatione petenda  
est origo convitii inter Germanos vulgaris,  
qui hominem desidiosum atque inertem vo-  
cant *Bärenhäuter*; Vulgaris opinio est, quae  
debetur doctissimo Gentili meo Philippo  
Cluverio Germ. ant. L. I. c. 16. hanc vocem  
derivandam ex *Bär*, ursus, & *haut*/pellis, quasi  
denotetur talis, qui lubenter pellibus incubat  
ursinis, (*der gerne auff der Bärenhaut lieget*)  
quem morem putant fuisse veterum Germa-  
norum. Si hoc *ἰτυμόν* servandum esset, for-  
te esset deducendum a more veterum, qui  
pellibus ursinis induti incedebant; uti Silius  
Italicus loquitur L. VIII.

Pecto.

semper viridis est. *Queckbäeren* rustici nostrates vo-  
cant baccas five acinos illos rubros quibus turdos  
capiunt, quod sponte magna copia proveniunt.  
*Queckerye* vocant seminarium arborum, aut etiam  
pecuariam & equitium. T. d. H.

*Pectora pellis obit caesi venatibus ursi.*

De quo ritu vide la Cerdam ad Virg. L. VII. Aen. vs. 666. Sed scribenda vox est *Beerenhüter*, uti & nostrates pronunciant, ut denotet, *subulcum*, porcorum custodem, *der die Bären/* i. e. porcos; *hütet/ einen Schweintreiber/* qui quidem titulus abjectissimorum hominum habitus fuit. Hanc derivationem memini me admodum adolescentem ex ore eruditissimi Viri Gerardi Meieri, qui in eruderandis patrii sermonis originibus multum posuit operae, hausisse, sed deinde ex *collectaneis Etymologicis Leibnitianis*, quae publici usus fecit Celeb. Eccardus, eam cum Illustribus viris Leibnitio & Jobo Ludolpho, quibus neque ea displicuit, in literis ad eos missis tum communicasse didici.

§. 6. Neque Germanis solum ita porcus mas dictus est, sed & ejus rei vestigia in aliis quoque linguis exstant. Huc pertinent Graecorum *βερρῆς*, Latinorum *Verres*, & *aPER*, cui convenit cum Graecorum *καρρῆς*, ut & *PORcus*. Germanorum *Eber* (quasi *een beer*) *Beerschwein* quae vox in jure Alemannico cap. 211. occurrit. *Urgauwl haist ein berschwein, dem soll man jährlichen die zend ausschlagen,*) ut & *Vercken, Varcken*, i. e. porcellus. Anglo-Saxonum veterum *Eosor, Bar & Bare*, ut & *Faer & Farr*, quod iis notabat *porcellum*, Hodiernorum Anglorum *Varrow & Farrow & Bor, Bore, Boar, & boare* (cum quo convenit nostrum *Borgschwyn, verres*) Gallorum, *Ver-*  
 Class. VI. Fasc. I. M rat,

rat, Hispanorum, *Berraco*, Italarum, *Verro*.  
 Neque dubito, quin hujus vocis rudera ex-  
 stent in Latinorum *Perna*, i. e. carosu illa, ut &  
 vocibus *Βορφαγοροσσια*, & *Βορφακεις*, quarum  
 priorem per *χοιρεα κρεα*, suillam carnem, &  
 alteram *μικρες χοιρες*, i. e. porcellos explicat  
 Helychius.

§. 7. Ad quam amicam tot populorum diver-  
 forū in imponendo uni animali eodem nomi-  
 ne concordia cum animum advorto, nullum  
 mihi dubium restat, quin prima origo ex Ori-  
 ente petenda sit, & ea quidem voce, in qua li-  
 terae radicales, ex quibus significatio formalis  
 petenda est, ב & פ potissimum exstant, se-  
 cundum regulam, quam dedi fasc. XV. sect.  
 VIII. §. 1. Olim cogitabam suibus ita nomen  
 hoc datum esse a ברה, sagine, pinguefe-  
 cit, quod istud animal cum cura sagine, at-  
 que ali, & a pinguedine potissimum commen-  
 dari solet. Sed deinde rem perpendens dili-  
 gentius, observavi in illis literis generale ali-  
 quod latere nomen, quod animantibus tribui-  
 tur generatim. באר & פרה & ברה est  
 foecundum esse, edere animal, ζωον perdu-  
 cere, i. e. PARERE, quae vox & literis & si-  
 gnificatione eadem est, unde & *parentes* dicti,  
 quae vox priva primum fuit matribus, quae  
 parerent, uti & Germanorum & Belgarum;  
*gebahren*; *baaren*, Hinc *Bärmutter* dicitur ute-  
 rus, Syri puerperam vocant באר: Arabi-

bus

bus  $\beta$  est pullum alacrem proferre in 2. & 4. conjugatione. Veteribus Gallis uterus vocabatur *Bru*. Ita & Otrido *Baren* est gignere, & *ba. m* puerperium, lectus puerperii. Anglo Saxonibus *Beran*, *Bearan*. In Glossario citato Lipsii, *Barida*, germinans. Ad quem locum Gul. Somnerus; Parere Saxonibus *Beran*, unde *westmberend*, fructifer, *treow waestmbaeru*, ligna fructifera. *Unberend*; sterilis. Hinc Anglis Aquilonaribus & Scotis *barne* pro sobole, quod Saxones *baerne*, parere vel hodie nobis *to beare*. Haec ille. In Ulphila occurrit *Bairan*, generare, progignere, unde *Bernsgos*, Parentes, Luc. II: 27. Joh. IX: 23. *Akran bairan*, est fructum ferre, *gabar*, peperit, *gabauransim*; Inde *Bert*, nativitas, genus, unde *Albert*, quasi, *Adelbert*, i. e. nobilis genere &c.

§. 8. Inde haec vox primum translata est ad homines. Illorum enim liberi in lucem editi hinc dicuntur.  $\beta$  Ebraeis & Syris & Samaritanis Chaldaeis notare filium infantem, quis nescit?  $\beta$  Syris est Filiolus. Retinuere hanc vocem variae nationes. *Bearn* Sueo-Gothis, & Anglo-Saxonibus, & Anglis & Scotis *Barn* vel *Bearn*, Danis *Born*, Runicis *Bar*, Cimbris *Bara*, Frisiis, *bern* eo significato venit. In Ulphila saepe ita occurrit, ut ex Glossario Juniano p. 82. 83. cernere est, *β* Hesychius explicat  $\beta$ ; i. e. parvum

puerum. Suidae βαρυν est ὁ ἀδελφεός.  
 Inde Latinorum *puer*, pro quo olim dicebant  
*Por*, inde Marcipor, Lucipor, Quintipor,  
 Publipor, id est, Marcii, Lucii, Publii pueri.  
 Islandi infantem vocant *Bur* vel *ber*. Hispani  
 dicunt *Baron* vel *Varon*. Et Germani veteres  
 filium *baren* vocabant. Wolfram van Eschil-  
 bach part. II. libri, quem vocat, Heroa,

*Den rath lobt togeliche,*

*Vil manger mutter BAREN; i. e. matris filii,*  
 & rursus; *Do vor wol uch behüten*

*Der reinen megde BAREN; i. e. Ma-*  
 riae virginis filius. Uti & simili modo,  
 Strikere in gestis Caroli M.

*Ich bite dich reiner mägde BAREN.*

Citat haec Goldastus in notis ad Paraeneticos  
 veteres, (b) p. 416. Sed in eo errat, quod  
*baren* proprie hominem liberum indicare pu-  
 tet. Ita in Chronico Rhythmico Princ. Brun-  
 svic. quod T. III. script. Brunsvicensium Leib-  
 nitianorum p. 113. vs. 15. exstat,

*De hobe frucht, Keiser Frideriches baren,*

Ubi unusquisque videt, notare ibi Imp. Fride-  
 rici filium, quamquam in indice expli-  
 cetur *Bari*; *Held*; Confer tamen Gol-  
 dastum l. c. p. 414. sqq. Palthenium in notis  
 ad Tatianum p. 288. Stiernh. in Gloss. Ulphila-  
 Gothico p. 21.

f. 9.

(b) Hic liber una cum *scriptoribus Suevicis* a Goldasto  
 editis inter omnes ejus libros editos occurrit ra-  
 rissime.

§. 9. Sed ab hominibus haec vox transiit ad animalia bruta; Idque primum *generaliter*. Βα-  
 εγ vocare Lacones Σεμματα scribit Hesy-  
 chius בעיר Ebraeis & Syris בבער est ani-  
 mal quodvis, jumentum, brutum, unde  
 בער, בריון uti Latinorum *Baro*, de homine stu-  
 pido, instar ferae adhibetur, quamquam dein-  
 de ad viros virtute, ac dignitate insignes trans-  
 latum sit. Hinc בעירורת *bruta animalia*, Chal-  
 daice unde Latinorum *Brutum*; Hunga-  
 ri jumentum appellant *Barom*. Hinc ipsissi-  
 mum Latinorum *FERA*, & Aeolicum Φηρ,  
 quo illi pro Φηρ utuntur. Ita enim Hesy-  
 chius. Φηρα, Φηρα ειπεν. Φηρα, Φηρα Αιολεϊς.  
 Inde est Gallorum *Fier*, & Belgarum *Vreet*, i.e.  
 crudelis, ferus. Esavus vocatur Gen. XVI:  
 12. פרא ארם, homo ferus & agrestis, &  
 Targum Dan. II: 38. פרא בריון habet pro fera.  
 Neque dubito, quin hinc quoque Latinorum  
*bellua* descendat, mutato tantum litera R. in  
 maxime affinem L. quod saepissime fieri  
 ostendi alibi.

§. 10. Hoc autem nomen cum primo gene-  
 ralius esset, notaretque foetum vivum, ad  
 certas deinde animalium species translatum  
 est, quae quoque illud retinere. Uno alte-  
 rove exemplo id confirmabo. Animalium  
 omnium maximum, elephas, vocatur *Bar-*  
*rus*, unde *barrire*, i. e. vociferari instar ele-  
 phanti. פרא & femininum פרוה, vacca, ju-

venca, & Arabum **ف** & **فر** juvenca, & Græcorum **πεις**, & **πεις** vel **πενξ**, **πηνθ**, & **πηνξ**, uti vitulum vocat Homerus, qui Hesychio dicitur **ποπτακιον**, & **πωεις**, qui Suidæ sunt **βοει βοες**, & Germanorum *farren* & Belgarum *Verse*, i. e. juvenca, inter se conveniunt. Et quidni huc referrem **בריא**, uti 1. Reg. IV: 23. boves saginati vocantur; Danorum, *Biorn*, Germanorum *Bär*, vel *Beer*, Polonorum *Wewer*, Anglorum *Beare*, Anglo Saxonum *Bera*, Belgarum *Beyr*, *Baar* (c) notat *ursum*. Arabibus **فرار** *Phirar* **فر** *phar* est pullus ovis vel caprae & vaccae; **βειον** Hesychio est **ωββατον**, qui & **βαει** explicat **σπερματα** quae alibi vocat **βοσκηματα**, **ωββατα**. Bohemis agnus est *Beran* & agnellus *Beranek*. *Vervex*, quam vocem, in sequiori aetate pronunciarunt *berbix*, hoc *verbis* Gallorum, *Berbis* & *brebis* Italorum *Berbice*, a se non differunt.

**פרא** est asinus ferus, sive onager, uti Arabibus **فر**. Et huc retulerim **φοεδες**, equae, **βειχθ** equus parvus, **βεδθ** & Latino- rum *Veredus* & Gallorum *Barde*, i. e. equus, & **פרר** mulus, unde nostrum *Pferd* / *Burdo* mulus,

(c) Nonnulli hanc vocem derivant a **βειθ**, hirsutus, villosus. Cur non a **βειθθ**, quam vocem explicat Hesychius **δασυ**. Sed malim potius hanc *betiam* ita dictam **κατ' εξοχη**, quasi **בעיר**, *feram*. T. d. H.

lus, & *Burricus* asinus, quod mediae latinitatis est, & Gall. *Bardot*, Belgarum *paard* & Arabum, Aethiopum, Persarumque *فرس*, *Paras*, & Chaldaeorum *פרש*, & Syrorum *פרש* equus. (d) In quibus omnibus, ut nunc innumera alia ex eadem radice propululantia animalium nomina taceam, videmus *ⲡ* generale *ⲃⲓ*, quod animal vivum indicat, fuisse retentum, atque id quoque accidit *ⲃⲡⲣ*, vel *Baar*, quatenus hae vicinaeque voces ad designationem porcorum translatae sunt. Atque inde nunc patet luculenter, qua ratione factum sit, ut Germani ex improvise conspicientes aprum eum vocarint *ⲃⲡⲣⲟⲩⲟⲩ*, i. e. einen *Bären*/ quod ad illustrationem *Suidae* ostendendum erat.

§. 11. Sed & aliud quid est, cuius disquisitione non praetermittenda videtur. Quenam nimirum, illa urbs sit *Berunium* vel *Verunium*, cuius denominationi fabula illa, quam *Suidas* habet, dederit occasionem? Miror nihil in hanc rem adnotatum ab iis, qui *Suidam* illustrarunt, sed omnes hunc locum tamquam foveam fugisse. Invenio autem *Beru-*

M 4

ri-

(d) Cum porro videam equos dici *Ⲁⲃⲓⲣⲓⲙ* Jud. V: 22. Jer. 8: 16. 47: 2, 3. 50: 11. ut & tauros Pf. 22: 13. 50: 13. 68: 31. Es. 34: 7. considerandum offero, anne hae denominatione potius ab hac radice, praefixo *Ⲁ*, quod in innumeris vocibus fieri alibi ostendi, derivanda sit, quam quod ita fuerint dicti a robore, ut vulgo existimant.

nium inter Rhaetica oppida recenseri à Plin, L. III. c. 19. quam ibi Harduinus secutus Cluverium, putat esse *Belluno* ad Pravum supra Feltriam. Inter Noricorum urbes idem primo loco adducit *Virunum*, quam *Volkmarck* ad amnem Dravum esse ibi una cum Cluverio conjicit Harduinus. In inscriptione, in Aldi Manutii Orthographia ed. Venetae a. 1591. p. 58. VIRUNUM memoratur patria PP. L. CENSORII JUSTI. Sed & illa apud Gruterum legitur p. m. 108. n. 7. qui tamen habet *Virunum*, sicut & apud eundem in duabus aliis legitur *Virunum* p. 516. n. 9. & 599. n. 7. Video ΒΑΡΑΟΝΩΝ quoque mentionem fieri in inscriptione Massiliensi apud eundem p. 458. n. 1. quae vox a Βηρηνιον non multum ablu- dit. Antoninus Imp. in itinerario p. m. 63. (editionis (e) rarissime obviae, quae Hieronymi Suritae commentario illustrata prodiit Col. a. 1600. in 8.) inter Aquilejam & Lauriacum, medio circiter loco ponit Virunum, ubi quidam codices habent Virundum. Stephanus Byzantius haec habet: ΒΕΡΟΥΝΟΣ, ὡς Ἀργυρῶν, Ἰταλικὴ πόλις, μεταξύ τῶν Ωρειῶν: Ubi recte a Luca Holstenio observatum est legendum Νωρειῶν, & simul error Stephani

no.

(e) In Menagianis T. IV. p. 237. Le Commentaire de Surita sur l'Itineraire d'Antonin ne se donne point ici à moins de XV. Francs. On ne le trouve, qu'en de ventes, ou la fureur de Bibliomanes le porte fort au de là de son juste prix.

notatus est, qui urbem Noricorum in Italia collocat, a quo tamen illi Alpibus dividuntur. Ptolemaeus quoque L. II. c. 14. vocat Ουι-  
 ρων, eique inter Norica circa Danubium oppida locum assignat. Ex quibus omnibus colligas urbem Berunium sitam fuisse in Noricis; Sed & ejus nominis fuisse aliam prope Feltriam in Rhaetia Italicae, quae & Belunum dicebatur, quod nominis in hunc usque diem retinuit.

§. 12. Johannes Pierius Valerianus, Bellunensis, in antiquitatibus patriae suae, quae Hieroglyphicis ejus vulgo annexae sunt, ferm. I. p. m. 86. seqq. Bellunum suum a Berunio vel Vereno, non aliam esse multis conatur ostendere. Et in subsidium sententiae suae locum Suidae, quem tractamus, magna opum vi advocat, eamque historiam confirmare allaborat ex Belunensis oppidi antiquo lapide C. Fl. Hostilii Sertoriani, in quo ille equo insidens aprum venabulo trajicere conspicitur. Sed quid de hac opinione statuendum sit, si aves cognoscere, pluribus vide, si lubet, in Phil. Cluverii Ital. ant. L. I. c. 16. Argumentis autem ab hoc adductis & hoc adde, si talis historia, qualem narrat Suidas, urbi illi Noricorum dedisset nomen, id valde probabile est, a tot Viris, qui ante Suidam vixere, ejusque urbis in jecere mentionem, non fuisse silentio plane praetermissum. Cum autem hujus narrationis ne  $\chi\upsilon$  quidem apud  
 M 5 illos

illos occurrat, tale quid cum ejus fundamenta excitarentur, accidisse, jure licet ambigere. Interea tamen aliquid oportet esse, quod illi narrationi praebuit ansam; Neque enim, quod illius fontem non sciamus, statim illa *fabula lepidissima* cum Abrahamo Berkelio in notis ad Stephanum, aut cum Cluverio in loco citato *lepida sane ac festiva delirantis grammatici, immo putidissima fabula* dicenda erit. Neque enim tantam vecordiam tantamque impudentiam innatam fuisse crediderimus, bonis viris illius ævi, ut tam aperta mendacia ex cerebro suo ficta, non alia causa, quam sola mentiendi libidine inductos, protrudisse suspicemur.

§. 13. Occasionem itaque huic fabulae, si fabula dicenda est, exhibuisse puto id, quod, cum exstruenda esset BERNA, potentissima & florentissima Helvetiae urbs, accidit. Cum enim illius conditor Bartholdus IV. Zaeringensium Dux ejus posuisset fundamenta, nomen oppido daturus, vovit, quodcunque animal ex silva, quam caedebat (locum enim illum, in quo deinde urbs exstructa, tum querceta opplebant) primum profiliret, se ejus appellationem impositurum urbi. Tum autem exiliisse ursum, unde laetus jubilantium clamor; *Ein Bär! ein Bär!* & illa cantio;

*Holz laß dich hauen gern/*

*Die Statt muß heißen Bern;*

Atque hanc historiam non solum omnes confirmant, qui de illa urbe aliquid prodiderunt

me-

memoriae, sed & illam & nomen urbis, quod viget etiamnum, & urbis insignia, quae *ursum* exhibent, & quatuor ursi, qui in singulari loco publico aluntur, & ursi quibus sella publica, cui praetor jus dicitur insidet, ornata est, & nummi eorum, ab urso in iis signato, quem *Basen* appellant Helvetii, nomen sortiti, confirmant abunde. Inde H. Glareano in Paneg. Helvetiae vocatur *Ursina propago*.

§. 14. Hanc autem historiam in oculis habuisse Suidam, ut credam facit (1) ipsum nomen; *Bern* enim a Graecis vix potuit aliter efferri, quam *Βηρνιον*. (2) Ipsa relatio, de origine nominis Bernae, cui cum illa Suidae juxta omnes circumstantias convenit, (3) Neque abhorret temporis ratio. Bertholdum enim, illum Bernae conditorem, rebus humanis ereptum fuisse a. 1175. constat. Quamquam autem nihil certi atque indubii de aetate Suidae dici possit, tamen eodem seculo vixisse XII. valde fit probabile; Meminit enim Pselli, qui seculum adtigat duodecimum; Meminit autem Suidae omnium primus Eustathius, qui moriente seculo eodem, & in eunte sequente floruit. Unde aetatem Suidae ad adultum id saeculum referre licebit. Quae erudita est observatio summi Viri J. A. Fabricii, Bibliothecae Graecae Vol. IX. p. 625. Ex quo colligas eodem tempore, quo Berna coepit exstrui, & vixisse & scripsisse Suidam. Si autem quispiam putet antiquiorem esse Suidam

dam, quam ut de rebus XII. saeculi quidquam potuisset commentari, is velim sibi in animum revocet, Suidae Lexicon, quod a doctis viris pridem observatum est, ut nunc est, a variis interpolatum fuisse. Quibus locis recentiorum manuum sapientibus, & hic fortassis esset adscribendus.

§. 15. Unum est, quod meam sententiam infirmare videtur. Videlicet, quomodo referri possunt ad urbem Noricorum, quae ad urbem Helvetiae pertinent? Notandum autem Norici fines olim longe lateque patuisse, & inde a Danubii ripa & Pannoniae limitibus ad Alpium juga fuisse extensos. De qua re non solum Cluverius in Vindelicia & Norico consuli potest, sed & novissime haec egit Hieronymus Pezsius, unicum fere familiae Benedictinae juxta cum fratre Bernhardo in Germania ornamentum in dissertatione De varia pro ratione temporum Austriae nomenclatura §. 2, & 9. praefixa Tomo I. scriptorum rerum Austriae nuperrime edito. Atque ita Helvetia a Noricorum finibus non longe nimis distita est. Sed & Suidas Berunium Noricorum cum illo Helvetiorum confundere potuit facile; Talia autem παραρρηματα haud rarerent ab eo committi a viris doctis animadversum est saepius. Vide rei exempla in laudata Fabricii Bibliotheca, L. V. c. 40. p. 631, 632.

§. 16. Et sic, quae hujus loci, fabulaeque, quam

quam refert Suidas, sit ratio constat. Percrebuerat nimirum de condita urbe Berna vel Berunia, ejusque a conspecto urso denominatione rumor, & ad ipsas pervenerat Suidae aures. Noverat ille Berunium Noricorum fuisse urbem. Illam cum Helvetiorum Berunio homo peregrinus commiscere facile potuit. Narratum autem fuerat à capto *Urso*, quem Germani *einen Bären* vocant, impositum esse urbi nomen. Cum autem Germani aprum quoque & verrem eodem nomine insignire solerent, quo ursum, hinc ex *urso* factus est *aper*. Idque eo facilius, quod decantata Apri Caledonii historia, haud profus absimilis, obversaretur scriptoris animo. Porro, cum ille audiret clamatum fuisse *Ein Bär* Bär autem a Graecis ea aetate pronuntiaretur, *Vir*; sciretque virum Latinis notare *άνδρα*; ex illa voce finxit *Εἰς άνηρ*. Atque ita, quid ille sibi memorabilis Suidae locus velit, in aprico positum esse puto.

§. 17. Huic loco scriptoris Graeci, qui ad Poligraphiam pertinet, illuminato, addam alium ad Chorographiam spectantem alius auctoris, pariter Graeci, qui sane medicam opem, si quis alius, exposcit. Estis **ARRIANI**, sive quisquis peripli maris Erythraei, qui Arriani ponti Euxini periplo vulgo addi solet, auctor est, inter geogr. veteris scriptores min. T. I. in quo pag. 9. editionis Oxoniensis, qua

utor, haec leguntur. 'Αφ' ἧς μικρον ἐπ' αὐτω τ' ε λ ι -

βθ, μετα δύο ἡμερας νυχθημερας παρ' αὐτην την  
 δυσην ΕΙΤΕΝΗΔΙΩΜΜΕΝΟΥΘΕΣΙΑΣ. ἀπαντα νη-  
 ρθ, αδιων δον της γης, ὡσει τριακιστων; κ. τ. λ.  
*Postquam paulo supra Africam duorum dierum na-  
 turalium itinere interjecto ad occasum ΕΙΤΕΝΕ-  
 ΔΙΩΜΜΕΝΟΥΘΕΣΙΑΣ occurrit insula a  
 continente distans circiter trecenta stadia. Quale  
 hoc monstrum est vocabuli? Quenam, ma-  
 lum, insula est, quae vocetur ΕΙΤΕΝΕ-  
 ΔΙΩΜΜΕΝΟΥΘΕΣΙΑΣ? Talis nec in Aethio-  
 pico Oceano, de quo hic legitur, nec usquam  
 omnino invenitur gentium. Recte viris do-  
 ctis rem suboluisse credo, qui hic insulae  
*Menuthiados* mentionem fieri crediderunt,  
 quam in hoc ipso collocant Oceano, ipsoque  
 illo in loco, quem Arrianus innuit, cū Martia-  
 nus Heraclæota in Periplo p. 10, 12 & 28. tum  
 Ptolemaeus L. VI: c. 9. quam nonnulli Sal-  
 masius, Bochartus, atque Harduinus putarunt  
 ingentem illam insulam esse, quae hodie S.  
 Laurentii, S. *Madagascar* dicitur, quamque  
 multi veterum *Cernen* crediderunt. Isaacus  
 Vossius, in notis ad Melam p. 303. illam esse  
 insulam Africae existimabat, quae nunc *Zan-  
 zibar* appellatur. Bene itaque haecenus se res  
 habet, quod ex corruptis literis *μενεθεσιας*,  
 emerferit insula *Μενουθια*. At quid nunc prio-  
 ri vocis illius barbarae parti facies, & quid si-  
 bi vult illud ΕΙΤΕΝΗΔΙΩΜ?*

§. 18. Claudius Salmasius (f) in exercita-  
 tio-

(f) Corrige itaque Cellar. Geogr. Ant. L. IV. c. 8.

tionibus ad Solinum p. 878. posteaquam refu-  
taverat alios, qui legerant παρ αὐτὴν τὴν δυσι  
εἶτε Μενυθίας ἀπαντα Νησῶ, vel εἶτε νη διέω  
Μενυθίας ἀπαντα νησῶ, legit παρ' αὐτὸ το πρῶ-  
τον ἀκρον εἰς ἑω Μενυθίας, κ. τ. λ. Sed & hanc le-  
ctionem confutavit Henricus Jacobius in an-  
notatis ad Philologiae ἀνακαλυπτικῶν p. 92,  
Idque summo cum jure. Praeter enim alia,  
quibus utitur, argumenta id in propatulo est,  
nimia τῶν Πανυ uti libertate, quando loco in-  
mendo cubanti medicinam afferre conatur,  
omnibus ejus artubus luxatis, contractis,  
sublatis, ita ut literarum vulgatae lectionis  
vix umbra vel vestigium remanserit. Ipse  
itaque emendat παρ αὐτὴν τὴν δυσιν εἰς π νοπον  
Μενυθίας ἀπαντα νησῶ, *versus occidentem littore  
sensim in austrum obliquato, Menuthias occurrit  
insula.* Ipsa sententia quidem, quam his ex-  
primit, neque ab Arriano, neque a re ipsa est  
aliena. Si enim Menuthias est insula Mada-  
gascar, quod summis visum est Viris, ea Pro-  
montorio Rhapto, quod verosimile est fuisse  
Mofambicum, aut quod Capo Belgado voca-  
tur, & Rhaptae urbi, (quorum enarratione, lo-  
corum mentionem in hoc latere finit Arria-  
nus,) objacet inter Austrum & occidentem.  
Etsi itaque illa lectio rei veritate non adver-  
sa est, qui vix tamen intelligit, cum literarum  
ve-

p. 249. ubi hujus emendationis auctorem facit Jo.  
Hudsonum, qui tantum ejus in notis suis ad hunc  
scriptorem fecit indicium,

vestigiis perparum illi intercedere affinitatis.

§. 19. Quae cum nuper considerabam, incidit alia lectio, quam genuinam esse, parum abest, quin credam. Puto enim Arrianum pro ΕΚΤΕΝΗΔΙΩΜΜΕΝΟΤΘΕΣΙΑΣ scripsisse ΕΚΤΕΙΝΟΜΕΝΗ ΜΕΝΟΤΘΙΑΣ; & ex his duabus priorem monstrose concretam esse & sic locum ita interpretor, *Ad occasum EXTENSA MENUTHIAS occurrit insula.* Nota enim duas syllabas posteriores in priori voce ΜΕΝΗ adscriptas esse propter totidem sono pares ΜΕΝΟΤ in Μενυθίας. Ceterum εκτεινομ optime convenit, quoad literarum ductus cum corruptis ειτενηδιωμ. Eo autem modo literas facile & absorberi & turbari potuisse, unicuique apertum erit, qui meminerit veterum scribendi modum, ubi voces sine hiatu connexas exarabant, iisque utebantur majusculis, quae in illis vocibus valde vicinae sunt. Atque ita Menuthias insula si eam esse insulam Laurentii putas, recte dicitur εκτεινομενη παρ αυτην την δυσιν *ad occasum* ratione littorum Africae ad Oceanum Aethiopicum *extensa*, vel *protensa*, sive exporrecta, quod Mappas inspicienti οφθαλμοφανερως patebit.

§. 20. Proprio vero Geographis verbo usus est Periplus auctor, quo utuntur saepissime de regionibus, fluminibus, insulis, iisque longitudinis majoris, qualis est Madagascar seu Menuthias, verba facientes, sc. εκτεινομαι, δια-

τεινεσθαι, vel ὠθεσθαι, sicut Latini *exten-*  
*sionis, protensionis,* quae voces ejusdem sunt si-  
 gnificantiae & soni, & descendunt ex Orien-  
 te, ubi ἰν notionem habet extendendi, vel  
 in longum exporrigendi, quod nuper pluri-  
 bus docui in dissertatione de Leviathane Jo-  
 baeo cap. III. Ne alios tangam scriptores,  
 noster Arrianus illa phrasi valde gaudet. Ita  
 pag. 5. editionis Oxoniensis. Ἐπ' ἀνατολὴν ὁ  
 Ἀραβικὸς κόλπος ΔΙΑΤΕΙΝΕΙ & p. II. de  
 oceano post Rhaptam urbem; Κατὰ τὸν νότον  
 ΠΑΡΕΚΤΕΙΝΩΝ, *ad austrum exporrectus,* & de  
 Arabica regione Κατὰ μὴκρόν ἐπι πολὺ ΠΑΡΑΤΕΙ-  
 ΝΟΥΣΑ τῆ ἐρυθρῆς θαλάσσης. Idem p. 16. βαθυτά-  
 τος ἐπι πολὺ ΠΑΡΕΚΤΕΙΝΩΝ, denique p.  
 29. Ἡπειρὸς ὅτι τὰ βορρῆα εἰς τὸν νότον ΠΑΡΕ-  
 ΚΤΕΙΝΕΙ. Adjungam, qui Arriani periplo pas-  
 sim jungitur, Marcianum Heracleotam p. 36.  
 ed. Oxon. Ille de oceano Atlantico; πρὸς τὰς  
 δυσμὰς εἰς μεγάλον ἀπεραντὸν καὶ ἀγνώστον ΕΚ-  
 ΤΕΙΝΟΜΕΝΟΣ & Suevum fluvium describit p. 53.  
 ἐπι τῆς ἐνδοτερῆς καὶ αὐτῆς ΠΑΡΕΚΤΕΙΝΟΜΕΝΟΝ. Ma-  
 xime vero notandus est locus, qui occurrit,  
 p. 57. ubi Albion, quae nunc magna Britan-  
 nia appellatur, ei describitur νησὸς μεχρὰ τῆς  
 μεγάλης Γερμανίας ΕΚΤΕΙΝΟΜΕΝΗ; *insula usque ad*  
*Germaniam magnam EXTENSA;* Haec enim ea-  
 dem non solum vox est, quam Arriano re-  
 stituendam esse puto, sed & in utroque loco  
 agi de *insulis,* quarum magnitudo a Geogra-  
 phis saepe in comparationem adducitur, cogi-  
 tandum est. Quidni itaque & hic peripli Au-  
 Class. VI. Fasc. I. N 20

ctorem scripsisse hoc modo putemus. Παρ' αὐτὴν τὴν δύσιν ΕΚΤΕΙΝΟΜΕΝΗ ΜΕΝΟΥΘΙΑΣ ἀπὸ τῆς νησοῦς, *Ad occasum extensa Menuthias occurrit insula.* Id quod ostendendum nobis proposueramus.



VII.

Nova-historico-Theologico-Literaria.

**M**ARBURGI Cl. Vir Johannes Hermannus SCHMINCKIUS in historia HASSIAE jussu celsissimi Principis sui scribenda occupatur totus. Dolet tamen ob defectū veterum monumentorum in describendo veteris Hassiae statu sibi non paucas saepius relictas difficultates, quas tamen ab ejus praeclari ingenii vi facile superatum iri confidimus. Novam pariter parat editionem libri Petri de Vineis, Friderici II. Imp. quondam Cancellarii, qui jam sub nomine ejus *Epistolarum*, jam sub titulo, libri vel Commentariorum *de gestis Friderici Imp. alias sub epigraphe Historiae rixarum Friderici Imp. cum S. Pontifice* & editus & manu exaratus exstat. Si quis aliquid quod ad hujus libri editionem ornandam, augendamque facere possit, possideat, valde sibi Cl. Schminckium

ckium devinciet, ejus ei copiam si dare vo-  
luerit. Ab eo pariter edita est dissertatio ele-  
gans de *expeditione cruciata in STEDINGOS*.  
Ex illa discimus in agris nobis maxi-  
me vicinis, neque enim ultra unum lapidem,  
Stedingorum ager Brema distat, in seculis ma-  
xime barbaris fuisse, Albigensium & Walden-  
sium propaginem, quae intolerandae Mona-  
chorum libidini atque arrogantiae restitit.  
Sed & hinc discimus, quanto cum furore in  
eos fuerit saevitum, postquam Gregorius IX,  
Papa impellente Gerardo Archiepiscopo Bre-  
mensi, quialiquando CCCC. ex illa gente ca-  
ptos infelicibus flammis ustulandos tradide-  
rat, bellum sacrum, ut vocabant, in eos a.  
1232. promulgasset. Donec exercitu XL.  
mille virorum, cujus dux fuit Hermannus Dux  
Brabantiae, Bremae congregato, in pago  
Oldenesche; sex mille trucidatis deleti  
fuere.

LUTETIAE *Parisiarum* Bibliotheca sacra  
Jacobi Longii recudetur longe amplior sub  
hoc titulo. BIBLIOTHECA SACRA di-  
stincta in binos syllabos seu indices, quorum prior,  
qui jam tertio auctior prodit, omnes sive textus  
sacri, sive versionum ejusdem quavis lingua expres-  
sarum editiones, nec non praestantiores MSS. Co-  
dices cum notis historicis & criticis exhibet. Po-  
sterior vero continet omnia eorum opera quovis  
idiomate conscripta, qui hucusque in sacram scriptu-  
ram quidpiam ediderunt, simul collecta tum ordine

auctorum alphabetico disposita, tum serie sacrorum librorum. Huic coronidis loco subjiciuntur Grammaticae & lexica linguarum, praesertim Orientalium, quae ad illustrandas sacras paginas aliquid adjumenti conferre possunt, labore & industria Jacobi le LONG, Parisiensis, Congregationis Oratorii presbyteri & bibliothecae domus Parisiensis Praefecti. Constabit 250. philiris majoris formae; Pretium exemplarium magnitudinis primae erit librarum XXXVI, secundae XX, & tertiae XV. En alius ibidem editi libri titulum; *Epistolae Romanorum Pontificum, & quae ad eos scriptae sunt, a S. Clemente I. usque ad Innocentium III. quotquot reperiri potuerunt, sive novae sive diversae in locis sparsim editae, adjunctis fragmentis, spuris segregatis, in unum secundum ordinem temporum collectae, ad veterum codicum fidem recognitae & emendatae praeviis admonitionibus, ubi opus fuerit, notis criticis ac dissertationibus, quae historiam, dogmata, disciplinam, explicant, illustratae opera & studio Dn. Petri CONSTANT, Presbyteri & monachi Ord. S. Benedicti, e congregatione S. Mauri. Tomus I. continens epistolas Pontificum ab a. Christi 67. ad a. 430. Paris 1721. fol. Liber ipse habet pag. 1279. Praefatio 150. appendix 124. Vide recensionem libri in *Journal des Savans*, Janvier. 1722. n.12.*

BEROLINI Vir celeberrimus Maturinus Veyssiere la CROZE cum maxime occupatus est in describenda prima parte *Historiae suae Chri-*

*Christianismi Orientalis*, quam in Bataviam hac aestate typis exprimendam mittere constituit. Munera illa, quae Cl. Paulum *Volckmannum* superioris tomii p. 730. 731. morte sua fecisse vacua nuntiabamus, collata sunt Viro Cl. Jacobo *Elsnero*, Boruffo, cujus non semel in hac Bibliothecâ mentio facta est. Vir clarissimus Joh. Theodorus JABLONSKI, qui illustris societatis scientiarum, quae heic loci floret, a secretis est, *Tacitum de Moribus Germanorum*, Germanice versum suisque illustratum adnotationibus editioni parat. Serenissimus Princeps Moldaviae, Cantomirius *Daciam antiquam & novam* typis excudendam illi Societati, quam modo memorabamus, cujus ille ingens incrementum est, obtulit.

TIGURI nupero saeculari festo, quod Kal. Januariis a. MDCCXIX. celebratum fuit, Theologum celeberrimum & de Christi ecclesia valde meritum Joh. Jacobum HOTTINGERUM habuisse dissertationem: de *necessaria majorum ab ecclesia Romana secessione, & impossibili nostro tum in eandem reditu, tum pace cum ea* a nobis suo loco Cl. III. p. 509. narratum fuit. Huic ita dictum *Judicium ecclesiasticum* opposuit, atque Lucernae edi curavit Ludovicus RLISSA, à Lugano, strictioris observantiae S. Francisci Mediolanensis, Provinciae Sacerdos & S. Theologiae Lector. At non deseruit causam Hottingerus, sed hoc judicium

cium examinavit libro integro Tiguri edito, cui titulum fecit *Dissertationis secularis ex verbo Dei, puriori Antiquitate, celebribus ecclesiae Romanae Doctoribus, & quotidiana ejusdem ecclesiae praxi assertae & vindicatae*; Idem superiori aetate edidit de *Johannis B. Ministerio* dissert. posteriorem. Neque minus aliam vulgavit, cujus lectio his temporibus omnibus commendari meretur, sc. *Irenicam de Veritatis & charitatis amicissimo in ecclesia Protestantium conubio* Tiguri. 1721. 4. II. plag. Absolvitur illa IV. sectionibus. In prima agit de *Veritatis & charitatis conjugio*. Altera exhibet *Ecclesiam Protestantium in doctrina de praedestinatione & gratia concordem*, in qua ostenditur in dei à Reformationis incunabulis de istis capitibus inter Protestantes ante a. 1586. non fuisse litigatum. In tertia sistitur *Ecclesia Protestantium de Praedestinatione & gratia Discors*, quidque huic discordiae funestae dederit ansam, porro panditur. Quarta denique *ecclesiam Protestantium pacificam* tradit, & simul pacis Evangelicorum cum impedimenta removet, tum media eam promoventia praescribit. Idem hoc anno dissertationem, qua *resurrectionis Christi veritas ad Judaeorum convictionem, & efficacia, ad Christianorum infirmorum tum correctionem, tum erectionem demonstratur*; 5. plagulis, & alteram de *gratia Dei salutifera* plagulis 4½. vulgavit.

IBIDEM nuper edi coeperunt MISCELLANEA TIGURINA; edita, inedita, Vetera, no-

va, Theologica, historica, &c. &c. omnia partim rariora, partim lectu ad profectum in eruditione & pietate utilia; Auctor ejus συλλογῆς, nisi me omnia fallunt, est Job. Jac. ULRICUS, cujus plus semel honorifica, ut sane meretur, in hac Bibliotheca facta est mentio. Scopus primarius hujus instituti est, monumenta ad historiã ecclesiasticam præcipue Helveticam spectantia vindicare ab interitu. Lingua adhibetur Latina, Gallica, præcipue tamen Germanica. *Prima* sectio continet 1. Vitam Rodolphi Collini, Professoris Linguae Græcæ Tigurini, ab ipso Collino descriptam, & hætenus nunquam editam. 2. Joh. Deodati, Theologi Genevensis de mirificis pueri undecennis extasibus ad Jo. Jac. Breitingerum epistolas tres ἀνεκδότους. Sunt eæ valde lectu dignæ, & admodum commemorabile exemplum præbent, quam parum his temporibus jactatis enthusiasticis visionibus, quantacunque etiam pietatis larvâ superbientibus, fidendum sit. 3. Philippi Mestresatii Programma funebre in obitum Deodati. 4. Literas ἀποσβαιῶς Christophori Lovii, ad capitale supplicium damnati, ejusque uxoris, una cum brevi ejus vitæ ac mortis historia, ex Belgico Germanicè versas. 5. & 6. Joh. Jac. Breitingeri, Antistitis Tigurini, duos sermones synodales. 7. Excerpta literarum ex India Orientali transmissarum.

*Alterâ* sectio habet 1. Ludov. Lavateri vitam Hen-

Henrici *Bullingeri* plurimis Editoris observationibus illustratam: Germanicè. 2. & 3. Joh. Jac. *Breitingeri* duos sermones Synodales habitos d. 9. Maji & 24. Oct. a. 1615.

UPSALIAE *Olaus* RUDBECKIUS, τὸ πατρὸς τοῦ παιδίου edidit *Specimen usus linguae Gothicae in eruendis atque illustrandis obscurissimis quibusvis S. scripturae locis, addita analogia linguae Gothicae cum Sinica, nec non Finnonica cum Ungarica.* Idem prelo paravit *Ichthyologiae Biblicae* partem alteram, in qua agit de *Borith*, cujus mentio fit Jer. II: 22. demonstraturus, contra *J. Mich. Langium*, clarissimum Academiae Altorfinae Professore, neque herbam quandam, neque lixivium, sed purpuram veterum ea voce intelligendam esse.

GENEVAE ex officina *Gabrielis de Tourneſ* & filii brevi prodibit nova editio annalium *Ufferii* ex Auctoris schedis auctior facta, una cum ejusdem vita. Celeberrimus Vir *Anton. MAURICIUS*, cui respublica literaria editionem novam rationarii *Petaviani*, notis, *Petavii Chronologiam* emendantibus, & in rebus *Affyriacis* praesertim ejus calculos *Ufferianis* multo accuratioribus accommodantibus, & continuatione historiae ab a. 1718. auctiorem factam non ita pridem, debere incepit, volumen sermonum in varia S. scripturae loca prelo tradidit.

BREMAM, typis ibi ut excudantur, transmissi sunt, duo libri; Unus est *V. R. G. THOM.*

THOMSONI, ecclesiae Warflethanae in agro Stedingensi Sacerdotis, contra Atheos scriptus, cujus hanc habe brevem *ὑποτύπωσιν*. Tractatio Procemialis agit: C. I. de scopo tractatus. II. de Demonstratione Theologiae naturalis. III. de historia Atheismi. IV. de Definitione & divisione Atheismi. V. de Crimine Atheismi. a, Contra Deum. b, rationem c, proximum d, Atheos ipsos. Tractatio ipsa. Parte I. Atheismi fontes I. causas, fructus & effectus 32. Capitibus indicat & probat. Parte II. Procemialistractatio versatur circa Methodum refutationis Atheorum. C. I. Errores Atheistarum proponit. II. Numinis summi existentiam probat 32. Argumentis. III. Atheisticae plebis errores refutat: Circa a. Causam primam. b. Fatum. c. Apparitiones. d. Prophetias. e. Autoritatem scripturae Argumentis XII. & resolutionibus. XI. objectionum. f. Mysteria fidei & doctrinae. g. Ministerium Ecclesiasticum. h. Providentiam divinam. i. Immortalitatem Animae. k. Resurrectionem mortuorum. l. Judicium extremum. Corollarium de Conversione Athei.

Alterius libri hic titulus est; *Le nouveau Samaritanisme, ou observations sur le nouveau Tour de langage, de la version & d'un nouveau Testament imprimé en 1718. à Amsterdam, avec des longues prefaces & des courtes notes litterales pour la reunion de toutes les sectes Chrestiennes à l'Eglise.*

LUGDUNI Batavorum magistratu Acade-

mico ad d. 9. Febr. abiit Vir Cl. *Jo. Jacobus Vi-*  
*trarius*, oratione habita de *Pactis eorum*, qui  
*summum habent imperium*. Superiori autem  
 anno clarissimus Vir *Sigebertus HAVERKAM-*  
*PIUS* ordinariae Professionis auspicia fecit  
 oratione, qua probatur vigente aemulatione Grae-  
 corum *Virtutem ad maxima Imperii & literarum*  
*incrementa pervenisse, & extincta una cum Imperio*  
*concidisse*. Lugd. B. 4. Edita quoque est Oratio  
 celeberrimi hujus Academiae Theologi T. H.  
*HONARTII*, qua professionem antiquitatum  
 Hebraicarum, ad V. Decembris a. 1721. au-  
 spicatus est de *necessaria ad recte interpretandam*  
*scripturam sacram antiquitatum Hebraicarum cog-*  
*nitione*.

LONDINI ineunte hoc anno ad d. X. Kal. Fe-  
 bruarias diem supremum obiit *Maximilianus*  
*MISSION*, Gallus, religionis causa patria ex-  
 torris, in Angliam profugus, ubi fidei ejus  
 commendatus est Comes Arranensis ex fami-  
 lia Ducum Ormondiae, cum quo per Germa-  
 niam ac Italiam a. 1687. peregrinatus est. Ejus  
 itineris descriptionem edidit, cujus quadru-  
 plex exstat editio Gallica a. 1694. 1698. 1701.  
 1722. Tribus Voluminibus in 8. licet quar-  
 ta auctior absolvatur quatuor tomis. Eadem  
 & Anglice & Germanice versa legitur. A. 1707.  
 cum Neo-Cevennenses divino se agitari spi-  
 ritu jactarent, prophetiasque suas vulgarent,  
 iis se aggregavit, immo ab iis ita se induci pas-  
 sus est, ut & Romam & Byzantium profectus  
 fue.

fuerit, quo & Romanorum summo Sacerdoti & Turcarum Imperatori suo vaticinia indicaret. Quare omnium quidem admirationem, plurimorum autem aculeata scripta contra se concitavit, qui id concoquere non poterant, virum tam elegantis ingenii ab illis hominibus sibi imponi, at saniorum ludibrio se propinari passum esse. Edidit praeterea; *le Theatre sacré des Sevennes*; *Melange curieux*. Sed & heic in Anglia Pultnejae, ad d. XII. Apriles, vivendi finem fecit quinquagesimo aetatis anno *Joannes TOLANDUS*, nostri Lucianus seculi, qui si ingenio suo, quod a natura non contemnendum nactus erat, ad destruendas potius & irridendas sanctissimae religionis veritates, quam eas ornandas adstruendasque uti voluisset, & existimationi suae consulisset melius, & innumeris, quas ipse sibi peperit, molestiis, mansisset exemptus, vixissetque & pacatius, & moriturus fuisset felicius. De vita ejus & scriptis vide elegantissimi Moshemii mei de illa commentarium quem, vindiciis suis Anti-Tolandianis, quas Cl. V. p. 734. sqq. meminimus, praemisit, & quae in tabulis rerum novarum inter eruditos gestarum, quae Lipsiae a Cl. Viro Theophilo Crausio Germanice curantur, hujus anni n. 30. leguntur.

**FRANQVERAE** Frisiorum in locum celeberrimi *Coetierii* susceptus Vir Cl. *Joannes Conradus RINGIUS*, Eloquentiae & historiarum professionem suscepit d. XI. Martii hujus anni

ora-

oratione elegantissima habita de *Politicis Gentili-  
lium, & maxime Romanorum Sacris.* NOVUM  
autem, & fere immedicabile vulnus huic  
Academiae brevi postea inflictum esse inopi-  
na summi Theologi *Campegii VITRINGAE* Pa-  
tris morte, tibi superioris fasciculi p. 1107.  
significavimus. Dum in eo sumus ut, quae  
de ejus Viri vita scriptisque tua scire maxi-  
me interest, consignemus, tecumque, quod  
volente Deo fasciculo sequenti fiet, com-  
municemus, hi exciderunt memoriae ejus di-  
cati Versiculi.

*Siccine CAMPEGIUS vixit VITRINGA; bonorum  
Delitium, docti saxque caputque chori?  
Non hic, Frisiacae, vobis est privus, Athenae  
Incluta qui quasat moenia vestra, dolor.  
Qua pretium est studiis, quasunt pietatis amores,  
Publicus in vasto personat orbe dolor.  
Clades immensa, & foret irreparabile damnum,  
Postera quod nulla sarciat arte, dies.  
Ni, dum CAMPEGIUS mundum VITRINGA re-  
linquit,  
VITRINGAM (a) scirem vivere CAMPEGIUM.*  
T. d. H.

GOTTINGAE tandem absolvit, emisitque elegantis-  
simum libellum, omnium elegantiarum promus condus,  
C. A. HEVMANNUS, cujus ipem tibi feceram Cl. III.  
fasc. II. p. 378, 379. sub hac epigraphe, *L. Caecilii Fir-  
miani Lactantii SYMPOSIVM, sive centum epigrammata*  
tri-

(a) Intellego C. *Vitringa*, F. Patris sui, raro exemplo  
in eadem cathedra Collegam, ejusque ut nominis, &  
muneris, ita & virtutum, atque eruditionis here-  
dem.

*Christica aenigmatica*, quae vero suo auctori post longissimi temporis decursum reddidit, a librariorum mendis ope CODD. MSS. repurgavit, suisque & Jos. Castalionis, Casp. Barthii, Friderici Bessellii, Theodori Hasei, & Jo. Matth. Gesneri illustravit Christophorus Aug. HEUMANNUS, cujus & adjecta est dissertatiuncula contra V. C. Nicolaum Nurrium, librum de mortibus Persecutorum Lactantio abjudicantem, itemque *Symbola Critica ad Lactantium*: Hannoverae 1722. 8. Neque ita desinet de bonis sacrisque literis praeclare mereri Vir πολυμαθης ατ. Constitutum enim ipsi est, bis singulis annis suas de variis doctrinae capitibus cogitationes, communicare cum orbe literato; cujus instituti praeclari fortunata jam auspicia fecit. Prodiit enim his diebus C. A. HEUMANNI POECILE, sive epistolae miscellaneae ad literatissimos aevi nostri Viros. Accedit appendix exhibens dissertationes argumenti varioris. Tomi I. Liber I. Halae 1722. 12. plag.

AMSTELAEDAMI vir celeberrimus *Hermannus van de Wall* cum maxime totus in eo est, ut *historiam ANTIOCHENAM* prelo paret, quam ab aliquo tempore molitur. Duabus partibus ea absolvetur. Prima exhibebit *historiam civilem*, ubi de ortu urbis, ejus nominibus & cognominibus, situ, incolis, eorumque cultu sacro, tam publico quam privato, studiis & moribus, denique de privilegiis & fatis ad nostra usque tempora, disputabitur. Secunda *historiae ecclesiasticae* destinata est, in qua fundatio ecclesiae nobilissimae, ejusque collectio ex Hellenistis & Judaeis, ejusque privilegia & fata recensentur, denique de nomine Christiano in illa urbe, discipulis primo a Paulo & Barnaba, divino instinctu opportuno tempore imposito fuisse disseretur. Ut quam primum pulchro hoc munere rem literariam & sacram ornet Vir doctissimus, impense eum rogamus. Hujus Urbis florentissima ecclesia nobilissimum pereximiorum Doctorum suorum par brevi tempore amisit. Unus est *Florentinus BOMBLE*, qui a. d. Januarii inopina morte extinctus est. Sermonem ei funebrem dixit collega ejus *Johannes*  
 Class. VI, Fasc. I. O 102

non *Staveren* ex Pf. CXVI: 15, 16. Exstat ejus contra *Leenhofium* scriptum, quod sub duarum epistolarum ad eum perscriptarum forma prodiit *Amstaelodamia*, 1703. & 1704. Ut & literae *Αμοιβαιαι* ad *Ant. Rousium* missae, hujus sermonibus *Belgice* a. 1702. editis annexae, ex quibus colligas, quid ab eo potuisset expectari, si ad scribendum voluisset animum adjungere. Alter est Vir praestantissimus, pietate in Deum haud tralatitia, solidaque rerum Theologicarum notitia, candore animi comitate, aliisque virtutibus perinsignis, qui ut voce, exemploque de variis ecclesiis Belgicis *Oostzanensi*, *Franquerana*, *Arenacensi*, *Dordracena* atque *Amstelodamensi*, ita & calamo de omni ecclesia purioribus sacris addita praeclare merito est *Johannes D'OUTREINIUS*, qui & huic Bibliothecae promptam atque utilem operam navavit. Quae de eo ejusque scriptis scire nostra praecipue refert, ea Cl. I. Fasc. II. p. 188. sqq. fideliter retulimus. Reliqua, quae postea edidit, suo quoque loco commemorata sunt. Multa in ejus scriniis affecta adhuc latent, quorum editionis curam habiturum generum ejus S. R. Virum *Abrahamum Jacobum Sluiterum*, ecclesiae *Zutphaniensis* ministrum fidelissimum, uti non dubitamus, ita id, ut quamprimum fiat, contendimus. Usus ille fuerat valetudine sic satis prospera & inconcussa, sed ante biennium circiter notabile virium suarum detrimentum sentire coepit, donec ad d. XI. Kal. Martius paralyti graviori correptus inter sermones unctionem coelestem, magnamque *της πισ-ως πληροφοριαν* spirantes immortalem spiritum Deo suo & Redemptori reddidit, cum in terris vixisset LIX. A. & IV. M. munerique sacro per annos XXXVII, integros summa cum dexteritate fuisset perfunctus.

Ad

*Ad fugam vacui.*

IN EFFIGIEM  
PETRI AXENII.

AXENII hic faciem, tam culti pectoris  
ora,  
Queis niteat Phoebus, queis Themis ipsa,  
vides.

Qualem tot meritis insignem Cimbricus axis,  
Suspexitque suum Curia & Aula decus.  
Talem fama refert post fata; at sculpta tabella  
Vix tenuis tanti creditur umbra viri.

Graeca Charis, Romana Venus, Germanaque  
Pitho

Dignius hic poterant nempe adhibere ma-  
nus.

Rectius AXENIVM sic postera norit ut aetas,  
Victuroque magis spiret in aere lepos.

D. HENR. MVHLIVS.

---

AD GRAVISSIMVM  
FAMAE AXENIANAE  
INTERPRETEM,

AXENII *Elogium* divino carmine condit,  
MVHLIVS, *Elogii Conditor* Ipse sui.

Quid *Maecenatem* non possint dicere *Cimbrum*  
 Secula, quae *Cimbro* clara Marone nitent?  
 Dicite, Pierides, tanto quis *Nomine* major,  
 Seu mage *Maecenas*, seu mage *Vates* erit.  
 Ipse novam Phoebus litem dum dirimit, ausu  
 Heroo *Laurum* tradit *Virique* suam.  
 Et ne forte datus sine pondere calculus esset,  
 Obfirmat paucis provida vota metris:  
**AXENII** summos *Pindus* memorabit *Honores*,  
 Servabit **MVHLI** fera *Camœna* *Decus*.

f. Hamburgi  
 M. JO. CHR. KRÜSIKE,  
 V. D. M.

Q V A E S T I O.

Quaenam sit insula CERNE veteribus memo-  
 rata, & num ejus nominis fuerint plures?